EPISTOLÆ

BURMANNORUM

AD AMICOS;

ou

Collection de lettres inédites

de

quelques membres de la famille Burman,

publiée par

J. G. Burman Becker. (n)

COPENHAGUE.

Imprimeur : E. C. Löser.

1873.

Il n'y a rien, qui nous donne une idée si claire des siècles passés, que la correspondance des personnes instruites et savantes, et dans notre temps on a partout cherché de rendre publiques les grandes collections de lettres, qui se sont accumulées aux differents endroits et dont seulement un nombre assez limité avait paru jusqu'à nos jours.

La correspondance des **Burman**, famille si fameuse dans l'histoire des sciences et de la litterature des Néerlandes, a sûrement été extrêmement riche, mais doit avoir été exposée à des événements bien desavantageux. Monsieur le Professeur **van Hall** fut le premier, qui en 1830 publia une collection de lettres des célèbres botanistes de ce nom, et surtout de lettres de differents savants à eux, dont les réponses manquent souvent, ainsi que les lettres des deux Burman se finissent avec l'an 1771. Étant en possession des brouillons de mon grandpère **Nicolas Laurent Burman** de 1771 jusqu'à sa mort en 1793, et ayant trouvé dans la correspondance du célèbre **Grævius**, qui se trouve à la grande bibliothèque du Roi à Copenhague, quelque peu de lettres des Burman, j'ai taché, en formant une petite suite de leurs lettres familières, de conserver celles-ci et de suppléer à la collection de Mr. **van Hall.** Pourtant ma petite brochure ne peut pas avoir le mérite de l'ouvrage du savant professeur; elle n'est qu'une suite de ma piété et de mon intérêt à mes ancêtres: on voit le premier **François Burman**, professeur à Utrecht, au milieu des rixes, qui avaient lieu à son temps à l'université et dans l'église, on le voit à son dernier voyage aux bains; après sa mort on voit ses fils laissés aux soins de Grævius et leur attachement à lui;

on apprend une foule de particularités et enfin l'amitié intime, qui regnait plus tard parmi les premiers botanistes du 18me siècle. J'aurais pu publier des lettres à **Allion, Banks, Gleditsch, Gmelin, Hill, Jacquin, O. F. Muller, Montin, Rottböll, Schinz, Schreber, Vahl,** mais j'ai préféré celles à **Thunberg, Linné** et **Pallas,** qui sont les plus intéressantes et forment un ensemble. La correspondance de Linné se trouva à Upsala, ainsi que toutes ses grandes et précieuses collections. Il est assez connu que, après la mort de Linné fils, l'impératrice de Russie fit tout son possible pour acquérir ces collections, mais fut surpassée par Joseph Banks. Le roi de Suède, qui était alors à Pise, ayant appris que la Suède était sur le point de perdre ces trésors, envoya un batiment léger à la poursuite du navire anglais, qui en était chargé, pour interdire la transaction; mais le vaisseau anglais avait déjà gagné l'Angleterre, et Banks fit frapper une médaille triomphale. Un de mes compatriotes se rendant à Londres, il-y-a deux ans, pour examiner la correspondance de Linné et faire un extrait de toutes les lettres écrites par des Danois, trouva les paquets encore intacts et munis des timbres de la douane suédoise! La correspondance de Pallas se trouve sans doute aussi cachée quelquepart.

Dans un temps où l'on a pu se résoudre à démolir les intéressants et beaux monuments des **Burman,** qui se trouvaient dans le choeur de l'église à **Harmelen,** et qui avaient évité les suites de l'esprit républicain des Français en 1795, il sera bien à propos de renouveler la mémoire de cette famille.

EPISTOLÆ BURMANNORUM

AD

J. G. GRÆVIUM.

I.

S. P. Vir Clarissime, Collegarum amicissime,

Quamvis scribendi argumentum vix suppeditent res nostræ, aliquod tamen conciliant tua de me merita, meumque in te officium. Velthusii nostri mater, tantum non nonagenaria, orbi valedixit et minosum corpusculi sui sepulchrum heri alii sepulchro intulit. Mansfeldius strenuo satis ambitu ante octiduum senatorio ordini insertus est et hoc vultu jam Daventriæ vestræ minatur. Corrivalem præcipue habuit Hyportium, senatoris filium, paucis duntaxat suffragiis eo superior. Leusdenius noster, satis ipse simplex, Philologum mixtum orbi dedit; id est tohu vabohu, vulgari sensu et corruptore stylo. Quæ divinarum mentium pabula senatui nostro inscripsit, et quamvis merito Pontificatum inde sibi polliceri posset, stipendii tamen augmento solo si potiatur, pulchris ausis sibi non excidisse videbitur; hoc saltem nomine proceres fatigat, facilius servitutis præmia ab aliis laturus. Res ecclesiasticæ antiquum obtinent. Heri iterum sollicitarunt Ecclesiæ deputati, ut tres isti pridem designati, id est corcula sua, sibi dentur. Supernumerariam vocationem quod attinet,

illam dixere, **dat zij in advys houden,** id est de ea statuent ad calendas Græcas. Proximo senatus die statuet de hisce magistratus, ut putatur, clementer, ut vel sic saltem voti potiatur, modo Magistri illi dictaturæ suæ per tot annos gestæ immemores fieri queant.

Præter hæc narrata nihil occurrit amplius, neque ego, aliis districtus, jam meus sum. Qualis tum demum mihi videbor, ubi tu iterum eris noster, quod brevissime futurum auguror. In hoc ergo flumen et omnia secunda tibi obveniant. Salveant a nobis tecum suavissima uxor, soror, et alii omnes tibi jam noti. Belle valent liberi cum ancillis. Vale. Tuus ex animo.

Fr: Burmannus.

Trajecti d. xxviij Julij
MDCLXIII.

Inaudivi hodie ex ancilla, Cognatam conjugis tuæ Amstelodamensem, apud quam illa nuper divertit, ante triduum huc adventasse, vos autem non offendentem heri domum rediisse, quod ut significarem ancilla petiit.

Myn Heer
Myn Heer Johannes Georgius
Grævius Professor
residerende by den Heer
Melm in de Flingerstraet
tot
Dusseldorp.

II.

Viro doctiss. et Celeberr. Joh. Georgio Grævio S. P.
Fr. Burmannus.

Recte atque ordine tuas accepi. Gaudeo non monstrorum, sed lætiorum pacis nunciorum feracem esse vestram Africam. Faxit deus ne in ridiculum murem partus hic desinat, sed Martios hosce vultus demulceant inermes Amazones. Apud Batavos non tanta istius rei est fiducia, aut major saltem cautio. Jures nihil rimarum nunc superesse. Si tamen fides habenda raræ occulti pectoris voci, quam nuper in vicina urbe e viro arcani horibilis, ut ferunt, conscio promiscui sermones me coram elicuere, intra paucas hebdomadas aut læta et qualis decet affulgebit pax, aut magna fiet rerum conversio. Hodie tormentorum explosiones in urbe, imo domo hac, auditæ sunt, unde vulgata mox fama, congressas esse classes. Sed illa ante solis occasum occidit, cum tormentorum recens fusorum eas explorationes fuisse accipiamus. Si quid geratur rerum, ejus ne sis ignarus curabo. Celsiss. Princeps hesterna vespera Haga Bredam repetiit. Largiatur illi deus itum felicem reditumque gloriosum. Interea non parum strepunt gliscuntque turbæ sacræ et si velis sacerrimæ. Academiæ hujus rector in coetu D. D. Curatorum nuperius admodum invectus est in collegam suum Cranerium propter corollarium tibi notum et simul in Philosophemata Cartesii et quæ non. Cum vero absens esset alter, dilata est res in conventum extraordinarium post octiduum instituendum. Et ne majoris abollæ conatus desint, quod nuper abortum passum est in synodo Hollandiæ australis, majori vehementia instaurandum est in Borealis Hollandiæ

coetu. Ubi auditæ voces, peiores esse Cartesianæ disciplinæ stolones ipso diabolo, cum hic Deum agnoscat, illi vero de eo dubitent. Et uno duntaxat reclamante tantum non A. (?) conclusum est, saltem inter plura alia in acta relatum, licet nondum peremptorie: **Versionem vernaculam nostram non esse laxandam, rejiciendam, neque aliter ac sonat citandam pro concionibus et in ipsis doctorum scriptis.** Abi nunc Tridentum, et **vide quantum** iste canon disseparatus sit ab illo de vulgata versione: illam **nullo prætextu rejiciendam** esse. Agnoscis idem vocabulum: Ne hæc nuncia in Gath, neque hæc audiant, ut audient certe, Philistæi vestri. Sed horum curam deo relinquamus, cujus sapientia et humana stultitia mundum regunt. Amplissimi Wedæ nepotem Grenum (?) graviter et non sine periculo e febri continua decumbere hodie coram vidi. Longe plura coram, si deus et Petri nostri suavissimi diuturnus et admodum periculosus morbus id fieri siverint. Quæ apud bibliopolam de Hase curanda habes, graviter exequar. Et si te ad viliores curas abjici pateris, quæso cures Odilia nostra ut ad sequentis hebdomadæ initium cella mea doliolum quartam majoris partem cerevisiæ albæ habeat. Ad insigne coronæ illam ire velim. Amici omnes plurima te impertiunt salute. Officia mea ut nobilissimo viro supra memorato, Hamet (?) Velthusioque offeras rogo. Vale amicorum alpha. Lugd. a. d. xxi aug. MDCLXXIII.

In Zeelandia cogitur a multis retro annis ibi non coacta synodus, quæ dira minari videtur. Numero et factione licet non causa ibi superiores facile erunt. Non referam quem e summatibus quantumque virum in hac republica infensum habere dicatur melior causa; sed nec qui contra ibunt deerunt. Spes est nubeculam fore. Dum hæc

scribo, increbescunt novi de commissis classibus rumores. Atroci, ut fertur, sono, et ne omina meliora deesse putes, a nostris littoribus magis magisque recedente. Fidem dies dabit.

Myn Heer

Myn Heer, Johannes Georgius

Grævius, Professor

tot

Utrecht.

III.

Clariss. Vir, Collega Conjunctissime,

Quæ ante triduum de clade Gallorum et Turennii cæde allata sunt Hanovia ad vos citius perhibere non potui. Quæ hodierno veredario allata sunt, plurima sunt et memoratu dignissima, sed cum Bokkenheimii sacris operati simus, et hoc ipso momento pedem domo inferamus, plenius illa ad te exarare non licet. Habe igitur duntaxat excerptum ex literis brevissimis. De itinere meo ne verbum superaddere eadem de causa licet, nisi quod hactenus omnia satis feliciter. Reditum meditor intra unam aut alteram fortassis hebdomadam. Vale amicorum decus et cum amicis omnibus animitus salve. Tuus omni officio et studio.

Fr. Burmannus.

Francof. ad Moen. 25 Jul. 1675.

Extract schryven uit het Keiserlikke veldleger by Sasbach den $\frac{19}{29}$ Jul. 1675.

Voor het overige berigte ik uwe Keur-Vorst-Dogl. dat de Fransche armee na dat men twee dagen continueerlik met Stukken en musquetten op een ander gespeeld hadde, waaronder Turenne geschoten is geuorden, nu eerst begind te marcheren, die men op den voet volgen sal, wat daar op volgen sal, is wyder te verwogten.

Extract uit het Keiserl. Veldleger by Uslof den $\frac{20}{30}$ Jul. 1675. Anders zal ik uwe Keur-Vorst. Dogl. ook gehoorsaamst niet onberigt laten, op welke wyze de viand sig heden desen vergangenen nacht in de stilte ende in het groote regen weder van Sasbach te rugge begeven, veel verwonde, kranke ook een goed getal von ammonitie ende schansgereedshap als ook eenige buiten-wagten te rug gelaten hebbe, ook syn veel overloopers hier gekomen. Ende is de retroguardia van den viand heden van de onse by Lambshurst aangegrepen, ende aldaar by de 150 mannen nedergemaakt. Daar syn reeds vele dagen verlopen, dat men steeds in continueerlikke actie met den viand begrepen is, in welke, God zy dank, het voordeel altyd tot nog toe by den keiserlikken gebleven is. Ende hebben de Fransche onder de verwonde, dooden en gevangene de navolgende generaals personen verloren, namelik **Turenne, Montgeorge, Losson, Vaubrun, Drassier, Hocquincourt, Hilair** en vele andere officiers. Alsoo dat hier uit lichtelich is te besluiten, hoedany het getal der gemeene Soldaten aan verwonden, dooden en gevangenen syn sal moeten. Nu schynd de viand sig na syne Rhynbrugge te wenden, welkers marsch doen en laten men aan onse zyde vlytig sal waarnemen.

Reliqua scriptu dignissima omittere coactus sum.

Myn Heer
Myn Heer, Johannes
Georgius Græevius, Professor
tot
Utrecht.

IV.

Viro Celeberrimo, Collegæ desideratissimo,
Johanni Georgio Græevio Fr: Burmannus S.

Refecerunt me maxime, aridum et sitientem tui, gratissimæ literæ tuæ, licet hesterno demum die redditæ. Gratum fuit resciscere quæ apud vos geruntur, gratumque erit deinceps, licet isthic locorum nunc sim, ubi nec Pelopidarum nomen nec facta audiuntur. Valeo hactenus, dei gratia, nec est quod itineris poeniteat. Statueram equidem in Palatinatum excurrere et inde ad vos remeare, sed mutata velificatione, medicorum suasu, ad acidulos Swalbacenses me conferam, non voluptatis causa, ut plerique, sed necessitatis; bene enim inde futurum renibus ominantur omnes. Utinam te comite ibi deambulare et garrire liceret! Si quicquam adferatur rerum novarum, priusquam me eo conferam, faxo ut reciscas. Paucos ibi teram duntaxat dies. Nisi grave sit, invisere ad uxorem, quum ignorem ubinam agat, an apud vos, an Lugduni, quo literas unacum hisce direxi. Literis tuis ad me curandis dabitur spatium, si forte novarum rerum quid apud vos geratur. Uxori lectissimæ faventem lucinam precor, spectatissimo Velthusio amicisque reliquis

salutem dico, quam suo nomine affinis sororque dici tibi voluere. Vale amicorum ordinisque nostri decus.

Francofurti ad Moenum a. d. 29 Jul: 1675.

Myn Heer

Myn Heer Johannes

Georgius Grævius,

Professor

tot

Utrecht.

V.

Fr. Burmannus S. P. D.

Joh. Georgio Grævio, viro Præstantissimo et de se

præ cæteris optime merito.

Non potuit fieri melius, Vir Celeb., quam ut decedenti mihi id imponeres, quod animum ob commemoranda et singularia tua in me merita tibi devinctissimum facillime excitabit, ad illud tibi præstandum, quod, cum summo jure a me exigere potuisses, officiosissime tamen pro tua humanitate id ut curarem admonere tamen maluisti. Quod cum mihi fuerit gratissimum, tum illud maxime dolendum puto, quod quoniam de te non cogito, quin simul mihi de maximis in mea studia meritis, simul de facillima et creberrima tua admissione, simul de gravissimis et præclarissimis tuis consiliis cogitandum sit, simul tamen de ulla mea rerum veratione co-

gitare mihi non liceat. Sed velim ita tibi persuadeas, Vir Celeb:, nunquam mihi animum quid tibi debeam ostendendi, occasionem semper defuisse. Quo libentius mihi hanc imponi provinciam abeunti, non dicam passus, sed gavisus fui, quod primam nactus mihi videbar hanc occasionem satisfaciendi aliqua parte animo meo, quod qui tibi nihil grati præstiterit nunc de re aliqua tua curanda liceat esse sollicito. Idque unum nunc a consueta tua in me humanitate exspecto, ut si ex sententia hac leviori in re versatus tibi fuisse videbor, sperare possim et crebriora mihi in posterum et graviora commissum iri, ut ex eorum procuratione, quod apud te maximum feci, levetur tamen aliquantum meum nomen. Qua æquidem spe fretus libentius qui pacto hic res illas offenderim expono.

De successione Professoratus quod dixeras, nulli de ea ne vulgi quidem incerti sermones feruntur. De Ciceronis vero codice, id vehementer scio lætaberis eum in tam bonas incidisse manus, ut in meliores fere non potuerit. Occupavit omnium expectationem et animositatem licitatorum Francius tuus, iisque tantum bolum præripuit e faucibus, permota vidua A. Ryckii jam longe ante auctionem ut possidere sibi suum Ciceronem permitteret. Est illi quod in sinu gaudent sua hac opima præda, videntque tot miserorum delusas spes, qui ei tam facilem victoriam non concessissent, si licuisset sibi cum eo in auctione congredi. Nobis vero omnibus, quod tibi gratulemur, nova hac ad reliqua tua adjumenta, quibus aliunde instructissimus es, accessione, speramusque jam non diu dilatum iri nostras spes, quibus multum ardemus tam utile Reipubl. literariæ opus videre, ut ab ætate tua impetrare possimus simili nitore et elegantia totum Ciceronem conspicuisse, atque nunc quibusdam in partibus per

te fulgere incepit. Vale vir optime, meque antiqua tua benevolentia complecti perge.

Dab. Lugduni ad Rhenum
a. d. iv Non. Octob. 1690.

Myn Heer

Myn Heer

Johannes Georgius Grævius seer vermaard Professor
en Rector Magnificus in d' Universitet der

Stede

Par Couvert.

Utrecht.

VI.

Viro clarissimo Joanni Georgio Grævio

S. D. Petrus Burmannus.

Boni, rogo, consulas, vir clarissime, parvum hoc munusculum, quod vicinum mare largiter Urbi, in qua me cum uxore et amicis oblector, ministrat, tanta et tam insignia in me merita et propensi animi indicia exstant, ut nullo unquam tempore eorum memoria animo excidere patiar, tu hinc tantum me tui memorem colligas, neque hoc tam parvo officio, nomen, quod grande contraxi, expungere velle putato. Vidi hodie cl. Gronovium, meliuscule se habere incipit, licet nondum aeri se committere ausus fuerit. Vale et ama

tui observantissimum Burmannum. Te cum tuis salutat Frater Crucius.

Dabantur Lugduni in Batavis. a. d. 19 Feb. 1695.

Myn Heer
Myn Heer
Joannes Georgius Græviusl
Vermaant Professor in de
Eloquentie etc.
tot
Met een mantie
Utrecht.
met Visch.

VII.

Viro Excellentissimo
Joanni Georgio Graevio
S. P. D.
Petrus Burmannus.

Redditæ hodie mihi sunt Tuae simul et viri nobilissimi Vivieni litteræ, quas simul atque perlegeram ad Consulem conveniendum prodii, sed nondum Hagæ Comitis, quo cum pluribus nostrae civitatis proceribus ad Regem salutandum profectus est, rediisse comperi. Creditur hac vespera rediturus, quamvis incerta admodum sit exspectatio, cum non redituri nostri dicantur, nisi ad Regem admissi fuerint, et difficilis admodum ad eum aditus cum maxime esse dicatur. Non omittam tamen, quin cras summo mane per ancillam exquiram num redux fuerit, neque dubito, quin rei literariæ

utilitas aliquid pecuniae a Consulibus expresserit, quamvis non deesse poterit exhaustæ arcæ præfatio, cum ipsi urbis rectores cogantur nunc nummos foenori sumere. Sed tentabimus, et quamprimum certi quid rescivero, faciam ut scias. Ipse quidem vehementer tecum esse Dordraci vellem, sed retinent me non tam labores Academici, quorum intermissionem postea pensare recte possem, sed negotia quaedam alia, quæ meam hic præsentiam desiderant. Deinde ambae ancillae nostrae die Lunae proxime mutabant dominos, neque solam destituere in ædibus uxorem meam queo, cum sine ancillis ad diem jovis vel veneris nobis erit vivendum. Quæso itaque ut meis verbis amplissimas Vioceno (?) gratias agas pro humanissima invitatione, qua nunc uti non possum. Curavi autem, ut iis libris, quos maxime cupio, mihi compararentur. Scripsissem ipse viro nobilissimo, sed perdidi totum hunc diem compellationibus amicorum et hæc raptim sub horam octavam ad te exaro. Sed quid hoc negotii est? Serione an joco a vobis agitur, qui elegiam illam, quam in Eysdenum conscripsi, vulgare velitis. Vide, vir celeberrime, an recte famae meae consulatur, si iterum me Bacchico spiritu afflatum mundus viderit, semel insaniisse sufficiat, neque detur ansa malevolis calumniandi, sin vero pertinaciter vos hoc agere contenditis, quæso ne typis describatur, antequam viderim, nam cum effusa potius sit elegia ista quam exacte elaborata, de quibusdam vocibus adhuc in consilium ire placet et mordaciori lima polire. Tu quoque, si quid aliter effigendum censeas, quæso communices. Hic nihil novi agitur. Obiit Milania mater, heri ejus tabulæ sunt apertae neque adhuc satis scio, quid illis consignaverit ante mortem, sed audio illam non immemorem litium et rixarum familiarium fuisse et exhausisse magnam patrimonii partem legatis.

Dicitur ultra sexaginta millia florenorum extraneis legasse. Wachtendorpio, amplissimi Sypesteinii genero, cura testamenti mandata, qui pro opera sex millia flor. feret. Jurisconsulti, quorum opera usus est adversus liberos, non inhonorati abibunt. Reinesteinii dominus hac hebdomada dicitur sponsalia celebraturus et sibi conciliaturus minorem Luchtenburgiam. In catalogo nostrae Bibliothecae nihil Du Frehnii conspicitur, sed Goldasti Politica Imperialia Francof. 1614, Constitutiones Imperiales III volum. Franc. 1614. et Monarchia S. Romani Imperii inveniuntur. Vale meum decus et præsidium et omnes, qui nobis bene volunt, saluta et tumultuarium hoc scribendi genus boni consule.

Trajecti Batavorum a. d. xxvj Octob. MDCCI.

VIII.

Celeberrimo viro, Præceptori meritissimo
Johanni Georgio Grævio, S. P. D.
Franciscus Burmannus.

Qvantum me diligas, ac quam singulares ex tuo amore fructus percipiam, etsi sæpissime alias, nunquam tamen æque præclare ac his ipsis diebus comperi. Non modo commendatio, sed vel solum nomen tuum, apud primarios in Republica literaria viros mihi aditum patefecit. In quo genere cum multos viros præclaros summopere mihi favere intellexi, tum quem Bentlejo tuo hic præferam, non novi. Tanta me humanitate excepit, ac tam singulari favore complexus est, ut dubitem quid prius commemorandum sit, tuusne in me amor

singularis ac pondus, quod ei a commendatione tua accessit, an viri illius facilitas, qui me tam amanter accepit, acsi ex longa consuetudine ipsi essem conjunctissimus. Ego, vir celeberrime, primam hanc occasionem, quæ mihi post iter Cantabrigiense concessa est, arripiendam putavi, ut tibi pro literis tuis tanti ponderis ac constantissima illa tua in me benevolentia gratias agerem quam cumulatissime, simulque significarem, quod tibi non ingratum fore mihi persuadeo. Scripsi quidem de eo antea ad fratrem, nunc vero tibi clarius exponere ipsi necesse duxi.

Invenit non ita pridem et accurate descripsit Joh. Brookbank, ICtus Cantabrigiensis doctissimus, ex aula Trinitatis, inscriptiones quasdam in agro Dunelmensi erutas, quas tecum communicari, ut corpori Gruteriano inserantur, communicatis antea cum Bentlejo tuo et D. Lawtono, Bibliothecario Cantabrigiensi, consiliis, constituit. Ipse jam mecum Cantabrigia attulissem Londinum, ni ex Dunelmensi provincia essent inde repetendæ. Cujus rei curam omnem in se suscepit dictus Lawtonus, ut ante abitum meum Londinum ad me mitterentur. Cum vero omnia ad reditum nostrum præparari a Legatis Londinum Oxonio reversus cernerem, scripsi de eo ad D. Bentlejum hesterno die jamjam currum Windsoriensem conscensurus, ita ut nullus dubitem, quin pretiosum hunc thesaurum hinc sim reportaturus. Simile est quod mihi promisit D. Stratfordius. Descripsit D. Mylius marmora Oxoniensia, aut potius accuratissime singula cum impressis contulit et annotationes quasdam, nisi me animus fallit, adjecit. Hæc si jam Londini haberi, et mihi traditurum, idem Stratfordius recepit. Quod quin tibi quam gratissimum sit futurum nullus dubito, ego certe in his procurandis, quamquam res ipsa nullo modo ad tua in me merita

assurgat, tamen grati me animi testimonium exhibiturum confido. Quam vellem vero in re majoris momenti operam meam tibi usui esse posse. Si quid sit ejusmodi, ut ante discessum meum significari tibi placeat, etiam atque etiam rogo. Spero tibi et fidem et in exsequendis, quæ optas, diligentiam probaturum meam. Vale Vir Celeberrime et me amori tuo porro complectere.

D. Windsorii A. D. iv. Kal.
Aug. MDCCII. St Jul.

De Heer
Myn Heer
Johannes Georgius Grævius, wijd
beroemd Prof^r in de Historie en
welspreekendheit etc. etc.
Tot
Utrecht.

Johannes Burmannus fratri suo S. P. D.

Non possum non, mi frater, quin de reditu nostro ex Hollandia septentrionali certiorem te faciam, ut si forte quædam mihi communicanda haberes, ea scias per literas indicare jam tuto te posse.

Iter autem nostrum quam jucundum, quam felix faustumque fuerit, quotiesque cum fratre Abrahamo exoptaverim, utinam te comitem in hoc habere daretur, vix per literas tibi notare possum. Die solis enim Amstelodamo nave quæ

ventis acta propellitur, vecti sumus per Serdamum, Alcmaras, ubi hora promeridiana sexta appulsi pedibus ivimus ad villam nostram, quæ in pago Schermer dicto sita est, ubi per noctem quievimus; die lunæ ante meridiem rheda iterum vecti Alcmaras, quia frater ibi negotia pro patrono suo obeunda habebat. Quibus ante meridiem peractis, hora duodecima ope rhedæ rediimus in villam, ubi post prandium sumptum non diu morati sumus, sed vicina loca, pagos scilicet et arva jucundissima lustravimus, atque sub vesperam rheda in villam ad somnium capiendum vecti sumus, ex qua nocte transacta provecti sumus ope rhedæ iterum Hornam, ubi ego, cum frater sua negotia ageret, herbas maritimas quæsivi, urbemque pererravi; atque hac die, Martis scilicet, prandium sumsimus apud cognatam Heidanum, quæ optime valet satisque humane et laute nos excepit. Quo finito iter arripuimus versus Enchusas, ubi sub vesperam rheda vecti, quam cum equo a rustico in usum habebamus, post incommoda a nimio concussu passi, quia totum iter a Hornis usque ad Enchusam lapidibus stratum est, tandem venimus, ibique in diversorio quam amoenissimo, prospectum enim habet et adjacet mari Austrico, sub vesperam et per noctem fuimus versati. Sequenti vero die Jovis, cum frater pro patrono pecuniam corradebat, totam et illam urbem conspexi, quam sub vesperam reliquimus Hornam reversi, ibique per noctem morati, sequenti die Jovis (sic) per totum tractum, quæ Beemster dicitur circumvecti sumus, prandium capientes in pago, qui dicitur Ryp, qui adjacet pago Graft, ubi Dominus Du Bois pastor creatus est. Quibus conspectis vecti sumus ad pagum Groot-Schermer, ubi dominus Crouser pastor, vir officiosissimus, qui nos quam humanissime vino Rhenano excepit. Sub vesperam tandem post iter jucundissimum illos per dies absolutum, venimus in

villam, ubi noctem transegimus non tamen tranquille; culices enim nos quam maxime exercebant, quia somnium nobis credo invidebant, ideoque adveniente sole e lecto a culicibus fugati postquam prius jentaculum sumsimus rhedam conscendimus, quæ nos vehit ad urbem Purmerent dictam, ubi navem conscendimus, quæ nos hora tertia promeridiana die Veneris Amstelodamum portavit. Habes ergo mi frater iter nostrum quantum potui brevissime sed ruditer satis delineatum, quod animos nostros urbano tumultu defatigatos quam maxime recreavit, parvoque nobis constitit pretio, quia rhedam a rustico in usum nostrum habebamus. Ad alia itaque. Literas tuas iv Junii scriptas accepi, ex quibus summo cum gaudio valetudinem tuam percepi, illudque, quod tibi pro veste miseram, placere agnovi, sed gratias, quas mihi agis, certe res tam pusilla non meretur, ego autem quas tibi referam pro provincia in te suscepta vix video, cum nihil habeam quod humanitati et tuæ erga me benevolentiæ adæquare potest. Mirari tamen non satis possum tuam modestiam, cum vere sciam et jure expectem hanc rem a me tibi impositam te quam elegantissime compositurum atque etiam nitidissime perfecturum.

Amstelodami.

Eruditissimo Viro Joanni Burmanno

H. Boerhaave.

Laetus intellexi, speratum favorem nostris respondisse votis, Tibique geminatam oportunitatem exercendi Te in pa-

lestra honorifica, unde commoda Tibi et honores, aliis omnia bona, exspectare licet. Faxit Deus, hilaris ipse atque validus haec et majora obeas! Credasque, vix feliciorem ad pulchriora viam patere, quam si optime meritum Ruyschium omni obsequio colueris; id quippe Tibi gloriae Illi summae voluptati erit, utrique bonum. Illum a me salutes quam officiosissime, meque utaris, quoties commoda Tua promovere potero. Vale! Leydae 17$\frac{1}{9}$^{7}28.

Viro eruditissimo Amatissimo Jano Oosterdyk-Schacht.

S. P. D. Joannes Burmannus.

Præstantissimum virum Borysnay Med: Doctorem ex tuis votis quantum potui humaniter accepi obque tuam petitionem et commendationem, quæ ipsi grata potui efficere, feci, adidi enim cum eo clarissimum Ruyschium, cujus thesaurum, quantum temporis angustia licebat, conspeximus atque quædam ejus præparata examinavimus. Cæterum ter me visitavit eruditus ille vir, quum vero hodie sacra coena mihi erat celebranda et heri ejus preparatio in templo habebatur, plura illo viro, quod dolui, præstare non potui. De medicamentis, quæ putaverat secum in patriam transportare, locutus sum et obtuli me ipsi ut quæ vellet sibi comparari curarem, sed cum pecunia ad viaticum indigebat, negavit id: lubentissime alias id in ejus et tui gratiam facile constitueram. Nihil quod hic novi nec in re litterarum nec in publicis. Clar: Boerhavius professioni Botanices et Chemiæ se

nuper abdicasse, ni fallor, jam audiveris ; sub finem hujus hebdomadis Leidam petere constitui, ut orationi, quam frater Petrus habebit, præsentem sistere me possim, atque simul .... sed melius hæc tibi fingere poteris, quam ego tibi scribere. Tu interim, quo incepisti perge pede. Frater tuus ante paucos dies me visitavit, ægrotus cum tunc temporis fere eram, bis febre laboraveram, sed quem leni purgatione, abstinentia et quiete penitus et brevi profligavi, invaserat lues(?) me per defatigationem nimiam, quam ex negotiis multis et acribus conviviis, quibus nimis per aliquod tempus indulseram, contraxeram, jam vero pancratice et more solitario. — Non dubito quin quam optime etiam tu valeas, nam valetudinis tuæ curam gerere scis sapienter et agere abstinenter. Vale desiderium meum et solito me complecti amore perge.

Scripsi Enchusceo ad d. 27 Febr. 1729.

Petro Antonio Michelio
S. P. D.
Johannes Burmannus.

Quum inter varia ad rem Medicam et naturalem spectantia, studia botanices imprimis semper mihi fuerit cordi et per aliquot annos sub præsidio et doctrina clarissimi et summi nostri Æsculapii Herm. Boerhaave Leidæ quondam illi studio adeo incubuerim ut summo clariss. Fredr. Ruysch senio et postea etiam ejus morte in locum ejus successerim et præterito insuper anno locum Casp. Commelin impleverim,

unde utriusque viri stationem jam obtinens et professor publicus tam exoticarum quam indigenarum factus cura horti nostri Amstelæd. mihi commissa, et reperiam varias nobis, ut semper fit, deesse plantas et desiderari earum semina. Hunc plurimis hujus studii patronis, fautoribus atque tibi inter quos excellis, clariss: Micheli, professendis defectum nostrum declarare haud gravatus sum, omni animo et prece exoptans et a te sollicitans ut defectui nostro supplendo matura aliquæ, quæ possides et quibus carere poteris, nobis transmittere velis semina, rem facies mihi et publicó quam gratissimam, et si aliquæ nostro ex horto desideras semina, quam lubentissime tibi illa transmittam et quum ex operibus tuis incomparabilibus, quæ nova plantarum genera continent, et quæ mihi per clariss. Boerhave oblata sunt, perspexi inter illas varias reperiri plantas, quarum semina nostro solo et coelo commissæ, læte satis germinarent, his si illarum semina quædam addere placet, summoque me obstrictum habebis, præsertim si illarum vel aliarum, quæ in Italia sponte crescunt vel coluntur plantæ, specimina quædam sicca pro herbario meo supplendo, quod jam millenis aliquot plantis et pluribus exoticis constat, addere velis, fasciculum itidem pro te componam illarum plantarum quæ hic occurrunt, si cognovero tibi illas aliquo modo fore gratas. Per clariss. meum collegam et amicum summum Dorvillium nuper Cæsalpini opera ex Italia accepi et ut audivi tua præsertim opera, pro quo beneficio tibi gratias habeo maximas. Cæterum si quid est, quod exsequi hic pro te potero, impera ; habebis me promptissimum et omni cura et opere efficiam ut mutuas literas et amicitiam inter nos exercere non dedigneris. Vale Vir doctiss. et mutuis me litteris et beneficiis, ut omni animo exopto, faveas quam primum poteris. Diuturnum tibi salu-

tem ad tuorum gaudium et publici bonum omni animo voveo. Iterum vale et me inter tuos amicos, ut ego te, accipe et diu habe.

Dabam Amstelædami 26 Novembr: 1732.

EPISTOLÆ NICOLAI LAURENTII BURMANNI AD C. P. THUNBERG.

I.

Dno. Carolo Petro Thunberg, Parisiis versanti

S. P. D.

Nicolaus Laurentius Burmannus.

Mirum forsan Tibi videbitur, exoptissime amice, quod non citius ad acceptissimas Tuas responsum dederim litteras, in quibus mecum communicare placuit iter versus Indiæ orientalis plagas Tibi admodum arrisurum fore, sique conditionibus satis secundis hoc fieri potuisset, non tantum Tibi, sed toti erudito orbi et utilitati et jucunditati fuisset; verum enimvero, ut sæpius accidit, quæ in principio facilia viden-

tur, expedite perficere exitu difficilia fiunt, ideoque rem, uti se habet, explanare studebo, præcipue quidem ut eligeres quæ Tibi facienda arrideant. Sciendum est quod, si primarii chirurgi munus amplecti desideras, iter Bataviam versus solitis conditionibus cum navibus, quæ circa hujus anni finem illuc abeunt, instituere posses, quodque litteræ commendatitiæ necessariæ subministrentur, quarum ope absque dubio vita Tibi erit commoda et fructuosa ; an vero Japonensem insulam pervestigare poteris, nobis æque incognitum est ac Tibi, qui forsan solummodo, ut illuc attingeres, iter instituere in animo habebis. Ipsi enim Gubernatores non absque consensu omnium, qui verno tempore semel tantum per annum congregantur, hoc permittere queunt, quapropter ipse percipere poteris hanc rem alea plenam esse. Chirurgi enim qui illuc accedunt vel in Xenodochio publico, quod Bataviæ exstat, locum obtinent, vel in insulam quandam Javæ, ubi copia militum quorundam, non longe a Batavia mittuntur, vel cum navibus ad Ceylon, Amboinam, Japan, Chinam, vel aliorsum navigant, ibi per aliquot temporis spatium manent, aliquando relinquuntur in his locis, vel cum redeuntibus navibus Bataviam versus proficiscuntur, et, si desiderent, in Europam redire queunt, vel ibi permanere, si lubet, possunt. Hisce consideratis facile percipere poteris, quod non in hujus societatis gubernatorum manibus sit, quemquam mittere tanquam peregrinatorem per Indiam nisi conjunctis viribus, cui concedenda forent necessaria ut servi, currus et reliqua, quæ ad victum et amictum in itinere per incultas terras requiruntur. Superest tamen aliqua spes, quod si litteris commendatitiis a quodam ex præcipuis hujus societatis gubernatoribus munitus esses, qui hoc promisit, quod tunc facile Tibi locus concederetur, in quo pulcherrima,

quæ ad historiam naturalem pertinent, colligere posses, et ubi vitam tranquillam et lætam transigeres. Cum vero ipse inscius sim, quomodo hæc omnia succedant, in hac re Tibi consulere nec possum nec volo, quum me quammaxime tæderet audire si quid infausti Tibi ex meo suasu accidisset in posterum. Hisce bene perpensis me quam primum communices quæcunque Tibi arrisura sint, ut locus in navi quadam vacuus relinquatur. Sique circa finem Septembris vel initio Octobris mensis huc accedas, satis temporis supererit ad ea, quæ in itinere necessaria sunt, præparanda; classis enim navalis, quæ eo tempore Indias petit, non ante illud tempus instruitur, et circa finem hujus vel sæpe ventis adversis initium sequentis anni profectura est. Accepta quammaxime mihi erunt semina, quæ pro me colligere pollicitus fuisti, gratumque foret si bibliopola transmutare vellet Parentis mei opera pro aliorum auctorum operibus in scedula annotatis. Opera, quæ præ reliquis commutare desideraremus sunt præcipue Decadum Africanarum exemplaria, quorum nobis maxima adhuc dum superest pars, quum pauca Thesauri Zeilonici possidemus, ideoque, si possis, rem sic dirigas, ut præcipue illa decadum sumat. Si nova quædam in Medicina cum fructu adhibita detegas, gratum erit si eodem modo ut de Ipecacuanna egisti hæc mihi explanare velis. An cort. Simarubæ quoque in pleuritide in Gallia usurpatur?

Valeas exoptatissime amice, salutatus a cariss. parente et uxore mea, quæ ad ultimæ graviditatis terminum fere pervenit, meque favore et amore tuo prosequi pergas, qui ex animo optat ea a Te eligenda fore, quæ profucia et jucunda Tibi in posterum esse queunt.

P.S. Gratum foret, si velles Dno. du Hamel proponere, an vellet transmutare plantas, quas ipse vel possidet vel in

Gallia inveniuntur, pro Capensibus et Indicis, quas hortus noster botanicus colit, mihique ejus mentem scribere.

Amstelædami 20 Maji 1771.

II.

C. P. Thunberg Parisiis versanti

N. L. Burmannus S.

Si Tibi arrideat iter iis conditionibus, quas Tecum in ultimis communicavi, omni cura studebo ut hoc Tibi fiat jucundum et prosperum, speroque Te circa illud tempus salvum et incolumem hic Amstelæd. amplecti. Si bibliopola Bauche non alios ex transmissa scedula mihi subministrare poterit libros, eligam eos qui mihi deficiunt. Ex recensione eorum librorum, quos bibliopola Didot possidet, elegi tantummodo eos, quibus caremus. An jamdum cum Dno. du Hamel collocutus fuisti de plantarum permutatione, de quibus in ultimis Tecum egi? Binæ magnæ illæ Americanæ Agaves, quibus nullibi majores inveniuntur, ut absque dubio in horto vidisti, hoc anno flores suos explicabunt. Uxor mea mihi ante quatuordecim dies felici partu sobolem puellam procreavit, quæ ambo pro tempore bene valent, salutare te petiit ut et cariss. meus pater, qui mecum tibi omnia fausta et prospera exoptat.

Amstelædami 23 Junii 1771.

III.

Dno Thunberg in Capite bonæ Spei versanti

Nicolaus Laur. Burmannus.

Paucis et tribus tantummodo verbis Tibi significare possum animi nostri gaudium, quod tam prospere salvus et incolumis ad Cap. b. S. oras perveneris, optamusque Tibi omnia ex voto successura fore. De stipendio cum Dno v. d. Poll locutus fui, qui mihi promisit sed de illis cum Dno Oudshoorn acturum fore. Maxime grata erit collectanea Tua perspicere, quæ avidissime a nobis desiderantur. Causam cur ille Auge (tuynman) morosus factus fuerat, expiscari certe quæro; præstiti illi quam plurima eo quo hic fuit tempore, abiens multa ipsi dedi, bis ad eum misi Tabacum in Cap. b. S., plura certe haud potui ingrato huic præstare, insuper commendavi eum Gubernatori, ipseque parens locum expetiit a societatis Indicæ directoribus, at vero a redeuntibus audivi pessimam illum ducere vitam, spir. vini et ancillis maxime deditum; si sciveram ipsi haud gratum fuisse, quod litteræ Gubernatoris litteris includerentur, non fecissem. Hisce vale amice optime, quum famulus, qui litteras tradet, hasce exspectat et post quadrantem horæ bona illius, qui Tibi procurabit, in domum Indiæ societatis transferre debet. Vale quam diutissime felix meique haud immemor vivas!

Amstelædami 20 Septemb. 1772.

IV.

Dno C. P. Thunberg Nicol. Laur. Burmannus.

Vigesimo Septembris die festinante nimis litteras dare debui, angustus temporis quumque ante aliquot septimanas summo cum gaudio ex allatis litteris, mense Augusti scriptis, perceperimus, Te prospera valetudine frui, abesse nolui quin hisce gratum nostrum animum Tibi declarem, quamque diu superstitem te fore ex animo foveo. Accepta valde fuere quæ per litteras communicare voluisti, inter quæ multa nova atque nobis inaudita occurrunt, gratiasque agimus pro transmissis oxalidis speciebus, inter quas novæ quædam inveniuntur, sique in sequentibus hisce pergere velis acceptam valde mihi facies rem, avideque exspectamus collectanea naturalia ut et plantas pro horto botanico. Litteras, quas Dnis Temminck, Deutz, v. d. Poll et Famars dare voluisti, gratiose acceperunt, dixitque D. Famars historiam morborum in navibus observatorum admodum accurate conscriptum fuisse, quod non solum mihi sed et supra nominatis viris testatum fuit. Locutus fui cum illis de stipendio Tuo augendo, promisitque D. Temminck se ad D. Rheede scripturum fore, qui promiserat se omnia Tecum, si salvus accesserit, procuraturum fore. Sauvage method. Nosologiam proxima data occasione mittam, quum D. Hanse hocce antemeridiano tempore jamdum profectus fuerit versus Texel. Septembris mense suavissima mea uxor masculum mihi progenuit prolem, qui cum matre et filiola prospera versantur in valetudine. Hisce vale exoptatissime amice salutatusque a Parente et uxore. Nos favore Tuo prosequi pergas. Absque dubio ab aliis communicatum fuit quantæ mutationes per totam Sueciam

exortæ fuere, quodque ipse Rex cum aliquot Centuriis Norvegiam versus tendat Danos visitaturus.

Amstelædami 2 Decemb. 1772.

V.

Dno C. P. Thunberg versanti in Capite bonæ Spei

S. P. D. Nicolaus Laurentius Burmannus.

Valde acceptæ licet fuerint litteræ, quas partitis vicibus ad nos dare placuit, ingrata tamen quam maxime fuere infortunia, quæ tam in itinere quam in ipso Promontorii loco Tibi acciderint, quæque non evenissent, si Gubernator van Oudshoorn citius vel inter vivos appulisses; facile enim concipimus, reditus, qui ex munere Tibi quovis mense redundant, nequaquam sufficere ut honeste vivere multo minus sumtus impendere ad interiora Cap. b. S. loca detegenda et rariora conquirenda posses; at absque ullius culpa sic voluerunt fata, speroque hujus navis adventum Te ex angustiis liberaturum fore, quum hujus urbis Mæcenates et Patroni Tui directori navis in mandatis dederint Tibi aliquot centum florenorum numerare, ex quibus debita solvere et ea, quæ Tibi necesse sunt, comparare poteris, hisce tantum addidimus, quantum circumstantiæ nostræ permittunt, ut quicquam grati Tibi præstiterimus. Omnia, quæ transmisisti, certe pulchra et rite ordinata fuere, pro quibus summas Tibi agimus gratias, rogamusque ut illo tradante procedere velis et eadem inscriptione pro nobis sub Titulo De Hren Commissarissen

der H. M. colligere, insecta et papiliones unacum nominibus eorum inscriptis, hoc tamen quo minori volumine fieri potuit eo melius erit, nempe quod numerum augeas Insectorum, quæ in singula theca continentur, facile fieret, si juberes ut thecæ operculo quoque insecta collocari possent, tunc duplo plura minori sub volumine acciperemus insecta ; si vero occasio Tibi suppetat, ut cum fideli capitaneo vel chirurgo hoc insuper procurare poteris, eo gratius nobis erit. Doleo quod non litteras ad Dom. Temminck et Deutz, qui Commissarii vel Directores horti sunt, scripseris, quod ne in posterum omittas etiam atque etiam rogo et quod una addas catalogum eorum, quæ transmittis ; valde contenti sunt et Tibi necessaria in itinere in posterum procurabunt ; cum vero scribas Tibi arrisum fore iter Japoniam versus, in posterum communices mecum quæ Tibi necessaria erunt et per quam viam hoc fieri desiderares. Scripsit D. Temminck propria manu ad Dnum Plettenberg, qui absque dubio primum in Cap. b. S. regimen demandabitur, ut Tibi in omnibus auxilium præstaret; sique in Japoniam transis, petas litteras ab illo. Optime satisfaceres nostris curatoribus, si vivas plantas in propria terra et præcipue ex Mesembryanthemi, Cactuum, Aloes, similiumque succulentarum stirpium hic desiderandarum speciebus transmitteres, tunc simul bulbosarum familiam aucta quantitate ut et Geraniorum bulbos vel rapaceas radices addere velles vel semina rariorum plantarum, quum prioribus incumbunt, quæ horto nostro prodesse queunt. Per longos retro annos bene conservatos bulbos ex Capite b. S. accipere soliti fuimus, si bulbi in tonnula arena sicca repleta includerentur, quod Auge sat bene procuravit, si seminum cistula in illa parte navis, ubi capitaneus versatur, pavimento suspendebantur, omniumque illorum nomina in Catalogo

litteris Mæcenatum et meis incluso annotas, quod maxime ab illis patronis desideratur. In parentis decadibus nonnulla prostant tabulæ, quæ picturis van der Stellii haud accuratis satis desumtæ fuere, imprimis succulentarum plantarum. Si Tibi occurrant vivæ, fac, si placeat, delineationes earum juxta tabulæ magnitudinem, ut in posterum mutari possunt; sique in itineribus, quæ absque dubio, si novus creatus sit Gubernator, institues, quicquam singulare detegatur, fac me hujus participem. Narratum mihi antea fuit minera quoque hucusque inveniri, quæ auro plena forent. Si siccum specimen cujusque novæ et incognitæ plantæ pro nobis servare et cum chirurgo transmittere velis, ut nunc fecisti, gratum nobis præstabis officium, quum alterum Herbarium in horto conservetur. Scripsi antea, Dnum ten Hoven, quem ea meridie, quum apud D. Deutz prandium sumsimus, vidisti, imprimis amare arbores coniferas vel sempervirentes ut Pinus, Juniperus, Cedrus etc., quumque hicce ditissimus vir quotannis pro Te sua contribuat, petiit ut Te rogarem, num omnia illarum semina in conis colligere et separatim in cistula, cum ejus nomine, ad directores horti cum supradicta inscriptione transmittere velles. Litteras in Sueciam cum nave ad D. Montin et Linnæum misi, nullum tamen responsum hucusque dederunt. Nuperrime litteras a Prof. Pallas, qui per Siberiam impensis Directricis Ruthenici regni perigrinatur, habui; detexit quam plurima tam in animali quam in vegetabili et fossili regno, transmisit ad me sua detecta, quorum denominatio plures certe paginas implet. Hisce vale amicissime Thunberg! vivas, quod ex animo Tibi sincere apprecor, quam diutissime felix mei haud immemor salutatusque a Parente et uxore, summi creatoris nostrum incommodum perscrutaris cum jucunditate, vegetaque valetudine, sique

utile quid vel grati Tibi præstare queam, me ad omnia officiorum genera semper paratum reperies. Summum mihi præstares officium, si ex succulentis plantis, quæ exsiccationem pro herbario recusant, florentes et fructificantes ramos desumere velles, hos lagenis spiritu vini debiliori repletis in cellula (ut vocatur) includere et transmittere, tunc successu temporis obtinere possem collectionem rariorum plantarum, quam nemo hic haberet, easque in tui memoriam servarem ; hoc modo attendas quæso, ut perfectiora specimina mittantur omnia in duplo, alterum nempe pro horto, alterum pro mea propria collectione, rogoque ut lagenas quantum possibile sit repleas ob minus spatium.

Amstelædami 30 August 1773.

VI.

Dno Carolo Petro Thunberg in Capite b. S. degenti

Nicol. Laurent. Burmannus.

Ex ultimis allatis litteris prosperam Tuam valetudinem summa cum voluptate percepi, quam diutissime incolumem Tibi ex animo apprecor, acceptaque fuere mihi ceterisque fautoribus Tuis ut et Horti Amstelædamensis Curatoribus quæ hocce anno transmittere placuit, quæque rite ad nostras manus pervenere, cumque Herbaria sicca ab Horti directoribus asserventur, gratum foret si in posterum et pro me transmittere velles, sique in duplo plantas colligas, facile mihi hocce officium præstare poteris. Incepi quoque colligere

Insecta plurimaque Surinamensia præcedenti et hoc anno transmissa, si et fido cuidam amico rariora quædam singulatim et Lithophyta confidere posses, gratissimum faceres. Certus sis, amico optime, me ea quæcunque modo possum Tibi procurare, meque Tibi, quem fratris amore prosequor, necessaria subministrare quantum in me est sustentare, quumque reditus, qui quotannis a Fautoribus subministrantur, licet generose admodum pro singulari homine, me judice non sufficiunt, aliud quid excogitavi. Amicos nempe, qui hic collectiones Naturalium servant, rogavi, num singulis annis quicquam subministrare vellent pro Insectis Asiaticis, obtulique me partem quamdam quoque daturum fore. Arriserunt hocce propositum, ut ex inclusis litteris patet, sique hoc Tibi gratum sit, suadeo et summopere rogo, ut tot Insecta nostræ societati transmittas, ut ea ad minimum conveniant cum impensis, quæ singulo anno Tibi subministrabantur, idque præcipue monere ratum duxi, quia si non ea tanto numero accipiant in sequentibus annis quam difficile foret eos permovere ut hoc continuarent, qui nullo stimulo cogi poterant; certus tamen esse poteris, quod singulis annis ex nostra societate quingenti nummi Tibi procurabuntur vel singulo semianno 250. Nulli alteri vero ut quicquam mittas suadeo, uti D. Cramer ad Te scripsit, inclusi quoque litteras Dni. van der Meulen, ut videre posses nomen illius viri, apud quem moneta Tibi in Batavia procurabitur, quem adire debes et dare scedulam vel notitiam in duplo, uti in epistola adsignata est; respondeas mihi quæso prima data occasione, num propositum Tibi gratum sit numque accipias, ut illis monstrare possem et curatoribus horti, per quorum consensum omnia peracta sint; si vero mihi soli quicquam annunciare velis litteris tuis scedulam includas, quam mihi soli servabo; relatum

mihi quoque est, multa a Te mitti in Sueciam, quod non bene factum censent et forsan tempore Tibi mali quid produceret, quod tantum monere volui, ut scires quæ a fautoribus Tuis audivi. Lubenter, si peregrinando vitam per aliquot annos transigere velles, Tibi a societate numerabitur pecunia, et si reditus Insectorum sufficient, per multos annos continuabunt, hoc itaque gratum foret, quod ex Japonia per Ceylonam, Amboinam et Coromandelam ut et per Chinam in Caput b. S. redires, scribasque num hæc itinera suscipere velles. Eo tempore quo hic versatus fuisti, mecum collocutus fuisti de alio conterraneo perito, cujus nomen non recordor, qui iter instituere vellet; sunt quidam qui mecum collucuti fuere, alterum quendam mittere per Surinamam in Philadelphiam, Jamaicam et aliorsum; si recordaris hoc ejus nomen, mecum communices unacum litteris ad eum. — Pessime factum fuit a Gubernatore Cap. b. S., quod quoque minus gratum fuit Dno Temminck, Tibi injunctum fuisse colligere plantas et semina pro horto Leidensi et Leovardiensi, qui nihil contribuunt, scriptumque fuit hoc in posterum non licitum esse. Tertiam prolem mihi peperit carissima uxor 28 Augusti, puellam dotibus dulcissimæ ejus matris insignitam, quæ Tibi valedicere jussa fuit, sæpeque de Te confabulamur. Sat læte viget cum binis liberis nostris, speramusque Te salvum et incolumen redeuntem videre. Quantumcunque poteris, quæso mittas semina, bulbos et plantas ad hortum nostrum, ne ingratiam a Curatoribus obtineam, qui me suasore hoc iter Tibi permisere, nec obliviscaris semina stirpium sempervirentium pro Dno ten Hoven, qui multa quotannis solvit. Nummi Tibi tradantur a Capitaneo, qui cum nave Ridderskerk proficiscitur et litteras ab ipso Dno Temminck accipias ad Gubernatorem Bataviæ cum nauta, qui navem T. Loo

ducit. Thunbergiam mihi transmisit Dnus Montin, qui bene valet et a quo nuperrime litteras habui ; optime facias si describas Cycas Caffeæ eamque descriptionem societati transmittas ; hoc tamen oro quod si in genere de plantis quædam annotes, ea ad me transmittas, ut illis uti possem in Flora Capensi, quam edere in animo habeo. — Sed adeo praxi obrutus sum ut ne horula per diem mihi vacet. Carissimus meus Parens, quem omni filiali amore ex animo prosequor, de die in diem debilitatur, quod mihi sæpissime tanto dolere et moestitia afficit, ut verbis exprimere vix queam. Salutare Te jussit, mecumque omnia fausta et prospera exoptat. Commendatitias litteras in hoc navi dedi ad Medicos Maas et Hofman cum amico quodam, ad quos in Batavia, si illuc accedas, adire posses. Vale!

Amstelædami. Octobr. 1774.

VII.

Carolo Thunberg in Cap. b. S. degenti N. L. Burmannus.

Prosperam Tuam valetudinem ex nuperrime allatis litteris perspicere mihi certe omnium gratissimum fuit, quamque diu incolumem ex animo foveo. Acceptæ valde nobis fuere plantæ, quas cum Capitaneo Johanson transmittere placuit, quæ pro magna parte novæ herbarium nostrum augebunt, eique splendorem afferent, summas Tibi pro hoc eleganti dono gratias persolvo, inque Tui memoriam eas servabo, sique in posterum Floram edam, eas Tuo nomini consecrare

animus est. Hoc tamen observes quæso, ut annotationes Tuas ad alterum non mittas, sancteque promitto eas me servaturum donec salvus redeas, cumque successu temporis Capensium descriptio a me fiat, ingratum foret videre observationes tuas ab altero in lucem edi, uti factum fuit cum Bergii plantarum africanar. descriptione, quapropter gratissimum facies officium si observationes Tuas mecum communicare velis. — Nescio cur nautæ hollandici adeo invisi sint cistulam cum plantis siccis transferre, cummunicavique Dno Temminck hoc pessimum factum, qui de hoc cum Gubernatore per litteras egit, non simul sed quoque non licitum esse scripsit quod pro aliis hortis laborem impendas, qui nihil contribuunt. Posses tamen semper eligere rariora pro nostro horto, aliisque hortis vulgaria magis et jamdum cognita dare, ut numerus compleatur, tuncque non tantam utilitatem ex transmissis acquirent. Contenti sunt Patroni, qui nummos suppeditant Tecum, sperantque idem Te facturum si ad Japoniam provenias, ubi semina et plantæ clyma nostrum perferre possunt, sique Pinus vel sempervirentes plantas ibi observes, ne obliviscaris Dnum ten Hoven afficere gaudio, qui multum quotannis solvit; quum vero reditus, quos quotannis accipis, non sufficiunt, ut honeste vivere queas, et a Patronis plures expetere non facile foret, ut Tibi tamen inserviam, aliud quid excogitavi, adiique amicos meos, mercatores, qui hic collectiones possident et inter præcipuos numerandi sunt, eosque rogavi num vellent singulo anno quicquam impendere pro Insectis; quod propositum honeste acceperunt, promiseruntque singulo quolibet anno solvere centum florenos, quumque nostra societas ex quinque constet, omni anno Tibi in Batavia numerabuntur quingenti flor. hollandici ; ne tamen hoc Tibi molestiam crearet, petii a horti præfectis cæterisque Tuis

patronis, ut in hisce consentire velint, omnesque promisere Insecta, quæ ad hortum sub consueto titulo mitterentur, nobis traditura, uti latius Tibi explanavi cum Capitaneo Paardencoper, qui Octobris mense hinc abiit; fac nunc amice optime ut omnia rite peragantur, quodque tot accipiamus, quot fere conveniant ratione valoris quotannis ab iis solvendi et forsan plura accipies. Absque dubio jamdum audivisti primarii chirurgi salarium Tibi a societate concessum esse, quo singulo mense duplum, ut puto, Tibi numerabitur. Sumsisti Tecum plantar. african. Parentis decades, in iisque, absque dubio observasti quædam adesse, quæ non rite a pictore expressa fuerunt, imprimis eas, quæ sub v. d. Stel gubernatore exhibitæ sunt; gratiam nobis præstares valde jucundam, si illas accurate pervestigare velles et in secundam tabulam adnotare, quæ minus conveniant; sique harum specierum specimina posses transmittere pro herbario exsiccata vel et mesembr. spiritu vino conservata, possumus curare ut melius inciderentur; sique in posterum plantas transmittes, nomina iis addas, quum omnes illæ, quæ absque nomine occurrunt, novæ et nobis incognitæ sint. — Scripsi quoque antea me collectionem Insectorum incepisse; si me iterum beare velles, gratissimum facies, eaque tradas modo Dno Neetling, qui mihi ea procurabit, possesque numerum augere, si ea, quæ spiritu vini conservari queunt, in lagena infunderes et lepidopterorum Insecta thecæ cum aviculis consueto more includeres.

Amstelædami, 8 Decembris 1774.

VIII.

Clarissimo Thunberg Upsaliæ S. P. D. Nicol. Laur. Burmannus.

Hæc semina mihi tradita fuere, ut Tibi traderem. In animo habueram nonnulla ex meis hisce adjungere; attamen, si verum fatear, tam pauca nova inter illa reperiebam, ut vix audeam ea mittere; forsan autem intererunt quæ in horto desiderantur, itaque hisce adjuncta misi americana semina. Acceptissimæ forent litteræ, sique tam sæpe nostrum memor sis, sicuti nos de Te loquimur, certe hoc multoties fiet; invicem oblivisci piaculum foret. Uxor mea satis bene viget et omnes hisce diebus prospera in valetudine versamur; major natu Maria filia ante biennium nupta, nuperrime secundum infantem peperit et Ultrajecti habitat; filius Jan Groningæ in Academia studia promovet; tres reliqui minores natu liberi sese bene gerunt. Ego vero, qui a summo mane ad vesperum praxi me immiscere debeo, defatigatus domum redeo. Mense Decembris 1791 primo pleuritidis doloribus excruciatus, tunc febri corruptus sum; postea doloribus podagricis adeo affectus fui, ut omnes vires amiserim, nunc iterum quasi evigilatus satis bene valeo, licet increscentium annorum stadium jamdum sentire incipio; quid de Te gratum foret audire. Nunc ad alia: Notum tibi erit in Academia Ultrajectina loco Professoris Oosterdyk, qui licet ultra 87 annorum satis bene viget, praxin docere Harderovicanus Professor van Geuns, quodque filius ejus pro Dno Nahuys botanices professor creatus fuerit. An Tibi nota illa planta, quæ indicat quo die plantæ ex cardariis libro æri exponendæ sint, de qua Linnæus sæpe mecum locutus fuit?

Amstelædami, 25 Apr. 1792.

IX.

Claris. Thunberg Professori Upsalensi

Nicol. Laurent. Burmannus.

Summo certe gaudio mihi fuere amicissimæ Tuæ litteræ cum seminibus repletæ, verbisque vix exprimere possim gaudium si litteræ mihi afferentur ab illis, quos amore prosequor, uti semper a primo momento, quo Te cognovi, apud me fuit, gratulorque quam maxime, quod in tam honorifico munere et nobilitatus a Rege cum prospera valetudine tranquillam in hoc mundi theatro vitam transigere poteris cum uxore et liberis, quod ut summum numen Tibi quam diutissime conciliet, ex animo foveo. Media præcedentis anni æstate accepi eximias Tuas dissertationes cum binis prioribus itineris partibus, pro quibus Tibi me valde obstrictum refero, oroque quam maxime, si fieri posset, quod quotannis seminibus horti Tui et dissertationibus vel aliis editis operibus me ditare velis, vel si majoris momenti sint, bibliopolas admoneas ut ad me directe mittant unaque significent cuinam hic Amstelædami solvendum sit pretium; non tantum enim videtur commercium inter nostrates bibliopolas cum illis Sueciæ ac antea, ideoque sæpius nescimus quænam nova impressa opera sunt. — Quod ad familiam meam attinet, ego valde valetudinarius per aliquot annos sum podagricis cruciatibus sæpe obnoxius; ab initio Martii ad hanc fere septimanam lecto detentus, febribus, diarrhæis et dolorificis affectibus maxime debilitatus sum; nunc vero fere restitutus praxin a summo mane ad quartam horam pomeridianam et sæpe etiam vespertino tempore curare debeo, quo evenit, ut non tantum, quantum quidem desiderarem, aliis negotiis me implicare

possim, attamen per intervalla, quantum fieri potest, Botanices mihi deliciæ studium et summo oblectamento supermanet, sæpissimeque doleo me tam longe ab horto distare; felix certe numerandus qui prope domicilium habet, uti plerique Botanices professores. Uxor mea optime valet; major natu filia (Mietje) Ultrajecti maritum nupsit: van Breugel, qui magistratui additus est; Colletta, secunda, huc usque apud nos domi versatur; Janus filius Groningæ Medicinæ studium elegit, Fransje cum cognato nostro Helvetiam petiit, et hoc anno, si tumultus bellici permittant reditura erit; minor natu filius Thilæ apud concionatorem linguam latinam addiscit. Sic domesticus noster status consitus est, et in hac civitate multum requiritur, si cum honore familiam sustentare quis desiderat. Quod ad hortum attinet, Hortulanus Storm senescere incipit, optime conservat hucusque stirpes, qui ibi coluntur, attamen tot plantæ noviter deteguntur omni anno, ut certe valde difficile sit eas pro argento emere; Harlemi plures novæ inveniuntur uti quinque species Banksiæ et plures aliæ; nuperque mihi a florum cultore tres Ericæ stirpes emptæ sunt pro ducentis et septuaginta florenis, et quondam pro singulo Banksiæ exemplari acquirerent 25 florenos; certe illud pretium nimis magnum pro horto, qui non venditat plantas, et hæc præcipua causa, quod multoties in singulari horto rara quædam planta invenitur, quæ in publico desideratur; multoties Angli certe maxime incumbunt, ut sibi ignotas ex insulis conquirant, quas pro immenso pretio exteris venditant. Vendidi Plumieri exemplaria bibliopolæ Leidensi, optarem quidem me quoque liberare posse a Decadibus Parentis plantarum africanarum, quarum adhuc dum 150 exemplaria seruo; si forsan occasio in Succia occurreret, gratum foret si mihi hoc officium præstare

posses. Lubens facerem si mihi solveretur dimidia pars in argento, altera in libris botanicis; despero tamen an votum hocce effectum habiturus sit; si rescribas et mecum communicare velles elenchum librorum botanicorum, quæ nuperrime eduntur et alicujus momenti sunt, gratam mihi facies rem. Noviter Pharmacopæa Amstelodamensis edita fuit, quumque nihil habeam quo gratam et devotam animam testificare Tibi possim, exemplar Tibi offero, quum forsan in pharmaceutico collegio quicquam grati præstare poterit.

Amstelædami 30 Aprilis 1793.

EPISTOLÆ
NICOLAI LAURENTII BURMANNI
AD
UTRUMQUE LINNÆUM.

I.

Carolo Linnæo, Archiatro
S. P. D.
Nicolaus Laurentius Burmannus.

Diuturnum et nimis longum certe licet inter nos, honor. vir, exstitit silentium, gratum tamen fuit et per aliorum

litteras et per ipsos peregrinatores de prospera Tua valetudine certior fieri, iis enim diebus, quibus Holmiæ versatus fueris, binas a de Geer acceperam litteras, posthac per Doctorem Gahn aliosque ex Svecia oriundos cum animi certe gratitudine audire licuit, Te Domumque Tuam pancratiæ valere atque vigere, quod ut vobis quam diutissime conciliet summus omnium arbiter, ex animo foveo.

Mihi unacum carissimo Parente, dulcissima uxore atque filiola Omnipotentis gratia eadem contingere licitum hucusque fuit, verno vero tempore optimus meus Pater Rheumaticis iterum vexatus fuit doloribus, qui cum quam maxime excruciaverunt, postea vero hisce aeris calore solutis, per æstatem in prædio nostro tranquillo vixit animo, optimeque valuit, quum uxor mea, quæ mecum in urbe remanserat, Junii mense mihi pepererat dulcissimam filiolam, Sophiæ Tuæ eo, quo Upsaliæ versabar, anno haud absimilem.

Dominus Thunberg, quem ob integritatem atque eruditionem maxime æstimo, omni fere die domi nostræ versatur et uti ex litteris hisce inclusis percipere poteris, in Indias petiturus erit, quamobrem ut illuc appropinquare posset, primariæ dignitatis in hac urbe viris illum commendavi, qui ad Gubernatorem litteras commendatitias dare polliciti fuerint; quamplurima ibi quoad Histor. naturalem efficere poterit, nullumque magis peritum in hacce scientia illuc accedere unquam posset, si modo necessarium ipsi subministretur munus, ex quo caute absque multis negotiis vivat; quum vero pro itineratore maxime conducat bonam sequi normam juxta quam in colligendis rarioribus se gerere debet, gratum præstares officium, si consulere ipsi velles, quomodo omnia tractare deberet: sancisque illum quod si figuras depingeret plantarum, quod Rumphianam methodum observaret, cumque

descriptionibus oeconomiam et medicinalem Incolarum usum adderet. — Ex petitione Archiatri Holmiensis, Bæck, libros quosdam in Sueciam mittere debui, quibus ob humidum aerem cista lignea inclusis addidi Conchylia, quæ in mea collectione in duplo inveniebantur, unacum binis indicibus in Hortum Malabaricum et Rumphianum, quorum exemplar alterum pro Te, alterum pro filio Tuo a Parente meo mittitur; cumque mihi relatum fuisset, Royenum multa rariora recepisse a filio Tuo semina, gratissimum foret si meminisse mei vellet et rariorum parvam licet quantitatem, quæ in horto collecta sunt, transmittere. Sique hoc propositum haud displiceat, ipsi substituere possem ex iis, quæ D. Pallas in Siberia collegit, cujus jamdum aliquot habeo litteras, scripsitque se ingentem numerum Insectorum, plantarum, quadropedumque detexisse, quæ in actis Petropolitanis describentur vel in peculiari opere editurus foret.

Hortus Amstelodamensis binas florentes produxit Aloes ex Veracruce prioribus annis, nunc vero hacce æstate binæ aliæ Americanæ maximæ flores explicuerunt, quales pares quoad magnitudinem nunquam protulit ullus hortus Europæus, altera harum in caldario munita fuit, altera vero in aprico aere, ut differentiam observaremus, flores protulit. O utinam hasce conspicere posses, vel saltem per aliquot tempus tranquille in prædio cum meo Parente transigere.

Recordatus fui me in exemplari tuo pl. Afr. vidisse quædam annotata quoad figurarum præstantiam; si in litteris mecum communicare velles, circa quas tabulas hoc imprimis locum habeat, gratum faceres, quum in præparationem floræ Capensis me accingam. Audivi nuper dissertationem editam fuisse elegantissimam de Ericis, quam uti et tomum Amoenitatum septimum quam maxime videre exoptamus. Valeas

honoratissime vir fautorque optime cumque nobilissima familia vivas felix, quibus fausta et prospera quævis apprecamur. An quoque obtinere possum tomum primum Campi Elisii Rudbeckii ex Suecia, cujus alterum quondam emi. — Lindwal Medicinæ studiosus Upsaliæ, qui notus D. Montin, desideratque proficisci in Indias, commendatione D. Thunberg notus me visitavit.

Amstelædami, 4 Octobr. 1771.

II.

Clarissimo Linnæo, Archiatro N. L. Burmannus.

Gratulor quam maxime Thunbergii litteras tandem mihi suppeditare occasionem hasce ad Te exarandi, de quo sæpissime cum Parente confabulati sumus, doluimusque certe litterarum commercium tanto silentio interruptum fuisse, quod ex materiei et temporis defectu solummodo originem duxit, quumque amicitia inter Te et carissimum Parentem a multis retro annis ex amore et veneratione orta vere fraterna fuit, dubitare nefas foret si crederem Tibi haud gratum fore quicquam de eo audire : ante omnia itaque scias hoc mihi adeo venerandum et carum pignus per totam præcedentem hiemem febri quartana laborasse, qua adeo debilitatus fuit, ut vernali tempore in vitæ periculo versaretur, fugata per corticem febris et lactis vaccini usu restauratæ adeo sunt vires, ut per totam æstatem et praxin et lectiones botanicas de usualibus plantis consueto more absolverit ; nunc

vero incipiente autumno, quod non sine summo dolore refero, videntur ejus vires minui, debilitas corporis increscit, et nova supervenit febris, quæ omnia me adeo afficiunt, ut verbis vix exprimere queam, et licet summæ gratiarum actiones Omnipotenti agendæ sint, qui ad hoc vitæ stadium me tam fido et caro parente beavit, triste tamen imminere mihi videtur fatum, quo ipsi ad æternum valedicere et perfidelis parentis cura carere debeam.

Nuperrime plantas et semina a D. Pallas accepi, qui per Siberiam itinerationes instituit et ingentem animalium tam Insectorum quam avium collectionem sibi acquisivit et multa nova detexit; scripsit se quoque ad Te misisse, quæ absque dubio tradita fuerunt. Narratum mihi fuit se jamdum Moscoa versari et circa finem hujus vel initium sequentis anni Petropoli reversurum fore. Quod ad Thunbergium attinet, non sine dolore infelicem ejus casum animadverti, doluique me illi hoc proposuisse, quum in animo habueram ipsi inserviturum. En ejus historiam: Parisiis cum versatus proposueram iter Capense et Japonense, quod lubens acceperat, huc inde rediens chirurgi examen ut illuc adiret sustinere debebat, quod cum summo honore absolvisset, forte fortuna ipsi adversa aderant tot Chirurgi primarii, qui antea in Indiis cum nostris navibus iter petierant, et cum navium numerus non æquaret numero Chirurgorum, primarii locum obtinere non potuit, licet Examinatores uno ore testati fuerint, eum maxime versatum et peritum esse, debebat itaque secundarii munus accipere, si proficisci vellet; accepit hoc et constitutus erat in navi, qui Bataviam versus tendere debebat; hæc cum mecum communicaret, adibam primarios hujus urbis Mæcenates, qui ipsi tercentum florenorum subministrabant, cum vero pro hospitio, victu, aliis-

que illo temporis spatio, quo hic domicilium habuerat, impendere debuisset, dimidium fere hujus summæ delapidatum erat ante ejus decessum; tunc temporis novus creatus fuerat Gubernator, qui eum cum proximis navibus sequeretur, cui a præcipuis hujus urbis Magnatibus meo auxilio commendatus fuerat, quique promiserat eum adjuturum in omnibus fore; cum vero hicce Gubernator antequam C. B. S. attingebat, moreretur, ab omni auxilio privatus fuit et in paupertate per aliquot menses (ut credidi) vitam sustinere debuit; hæc cum animadvertebam, scripsi ad amicos, ut ipsi auxiliatrices adferrent manus, nummosque suppeditarent necessarios, promisique me omnia soluturum fore et a patronis obtinui, ut mitterentur aliquot aurei; nunc vero directores horti, consules nempe Amstelædamenses, ipsi miserunt trecentum florenorum, Patroni ejus trecentum, egoque septuaginta; itaque nunc ut puto, liber ab omni cura sat bene se sustinere tranquillamque vitam et in tali regione fere beatam cum jucunditate perferre poterit, donec in sequentem annum plura ipsi subministrabuntur, quo tempore in Japoniam mittetur. Cum maxime occupatus sim multa addere impedior, attamen hoc: Geranium per binos in horto vixit annos hujus magnitudinis per totam æstatem florens; si notum sit mecum communicas quæso nomenque et descriptionem suppeditas unacum auctoribus apud quos occurrit.

Amstelædami.

III.

Clarissimo Carolo Linnæo, Upsaliæ,

S. P. D. Nicolaus Laurentius Burmannus.

Funestum Nobis ceterisque Botanices cultoribus damnum ex nuper allatis litteris summo cum moerore percepimus, dolemusque quam maxime Nobilissimi Parentis Tui mortem, qui a juventute sua fraterno amore cum carissimo meo Patre conjunctus per plurimos annos veram et ininterruptam amicitiam contraxit et ab eo ad ultimum vitæ halitum magno honore et pro sincero amico habitus est. Hunc clariss. virum, qui tot tantaque præstitit, et cujus memoria per omnia secula supermanebit, e mundo ereptum Nos unacum litterato orbe summopere lugemus, sique recorder quo animo me primis quibus Upsaliæ adveneram horis exceperit, quantumque mihi per totum illud tempus præstiterit, certe non sine summa veneratione ejus fidelitatem recordari possum ; Ipsum enim Parentis ad instar amavi, doluique sæpe commercium litterarium, nescio quo infortunio, nisi forte senectus in causa fuerit, pro parte saltem ultimis annis absolutum fuisse. Unica, quæ mihi superest, spes in eo redundat, quod ex Tanti nominis viro enatum video filium, ab ipso Patre enutritum, et veris scientiæ nostræ fundamentis edoctum, quem colui et cum quo Upsaliæ jamdum sinceram contraxi amicitiam, qui hoc damnum, omnibus mortalibus impositum, resarcitus sit, et cujus favorem et benevolentiam in posterum expeto, gratumque mihi fore palam profiteor, si inchoatam amicitiam per litterarum commercium prosequi meque inter fidos ejus amicos recensere velis, ut vero ex

mea parte incipiam, benevolumque erga Te animum testificer, prima data occasione ad Te mittam semina, partim in hortu nostro collecta, partim ex Siberia transmissa, inter quæ plurima rara occurrunt; si nunc huic voto satisfacere velis, remittas ex Tuis thesauris quæ nostro horto usui esse queunt, sic quolibet anno si pergamus, alter alteri absque damno inservire possit, et commune bonum invicem promovere studebimus. Quod ad primas Tuas litteras attinet, quæ initio Januarii allatæ fuerunt, harum responsum distuleram, ut una semina addere tunc nondum parata possem, sed quæ nunc cum primis abeuntibus navibus Tecum communicabo. Concedo libenter plures præterlapsos fuisse annos, quibus nihil de Te nec vidi nec nisi per peregrinantes audivi; recordaris quæso me nullum a Te habuisse responsum, quod sæpius cum dolore nobilissimo Tuo Parenti testificatus fui, interim cum honorifico oblato munere ex animo gratulor, optoque quod tanta cum laude per tot annorum seriem eo fungi licitum sit, quot olim clarissimus Tuus Parens, gavisusque sum peritissimum Thunbergium Tibi successerit, qui Te in multis adjuvare et præfecturam horti in se suscipere poterit; ejus genium mihi quam maxime placuit, videturque probus et ad histor. naturalem natus meritissimus vir. — Per litteras meas commendatitias in Cap. b. S. bene exceptus fuit, sique dives fieri desiderasset, multum per praxin medicam ibi loci lucratus fuisset, cum nullus dogmaticus medicus tunc temporis inveniretur; precibus autem Magnatum, uti mihi narratum est, obtemperare haud voluit, dicens se tantum illuc missum fuisse ut plantas et animalia colligeret, minime vero ut per praxin se divitiis exonoraret, doleoque semper quod ejus stipendium adeo parvum fuerit, ut vix sese sustentare potuerit.

Humidam frigidamque non vero glacialem quoque experti fuimus æstatem, pro plantis tamen haud adeo infestam, ideoque si circa autumnum mecum communicare velles species secundum Royeni systema, quæ apud Te deficiunt, tentabo num aliquæ ex nostris Tibi sequenti auno suppeditare queam, Tu vero quoque remittere debes. Offers animalia; si per hæc Insecta intelligas, nobis gratissima erunt; colligo enim ea de tempore in tempus, quantum circumstantiæ meæ permittant; uxor mea hoc studium præ primis amat; si nunc nobili huic sexui inservare velis, mittas quantum poteris unacum veris nominibus, ego unacum seminibus primus transmittam quæ nobis hoc tempore in duplo sunt, et experimentum faciam an Tibi placeant, et an hisce respondere velis. Recordaris forsan me plurimas siccas plantas americanas apud Te reliquisse eo quo Upsaliam reliqui tempore, quorum nomina adscribere pollicitus fueras, quas vero nunquam accepi; si nunc hoc damnum aliis resarcire velis et transmittere exoticas, quas in duplo possides, gratissimum faceres officium, tunc ego lubens remittam alias, quæ absque dubio et Tibi deficient: ex Sparmannianis forsan multas cum nominibus acquirere poteris, grataque forent munera, si veris nominibus distinctæ sunt. Quod ad Floram Capensem attinet, hanc libentissime ederem si tempus mihi suppeteret, attamen cum praxi per totam diem adeo occupatus sum, ut vix hora mihi vacua sit; si illam edem, eodem modo absolvam uti Floram indicam elaboraverim, non adeo nauseose cum tantis descriptionibus, ut plagellas modo impleam, uti furtim absolvit alius quidam auctor, qui nauseam legenti creat; grata mihi erit tertia Tua mantissa; concedo male peractum genera et species multiplicare; hoc certe est quod me deterret in Capensibus; non credo ullam provinciam adeo fertilem

esse in producendis varietatibus, quæ tamen magnopere a se invicem discrepant, ideoque cauti esse debemus, ne nimis cito hoc absolvatur opus. De Botanicis nostris certiorem fieri cupis ; possem enumerare eos, qui Botanicen nostris in Academiis docent, sed quum alias medicinæ partes fiunt cum munere Botanici, licet antea cum vituperatione hanc una docentes scientiam tractaverint. Dubia quæ occurrunt in Parentis Tui venerandi operibus transmittam et annotabo. An quoque posses per Studiosum quendam pro parata pecunia curare ut distinctis litteris scriptum et latine translatum fierit collegium oeconomicum uti apud vos annuo curriculo absolvatur, de hisce cogitas quæso et si fieri posset cures, ego libenter solvam, nescio quomodo tractatur et mihi idcirco gratum foret, quia nostrates hoc tempore Oeconomiam suscipiunt. De specificis in posterum agam quum tempus non amplius vacet. Dahlbergius per aliquot annos hic fuit, nunc vero iterum redux in Surinanam ibi vivit, quo vero munere fungatur, ignoro.

IV.

Clar. Carolo Linnæo, Upsaliæ,

S. P. D. Nicol. Laur. Burmannus.

Carissimi mei parentis morte hoc vernali tempore plurimis occupationibus adeo detentus fui, ut horula vix per diem mihi libera relicta sit, qua quidquam peragere licitum sit; praxis insuper medica ab octava matutina ad tertiam,

et a sexta vespertina ad nonam me fere omni die distrahit, unde facile concludere poteris pauça modo superesse momenta, quibus liber diçi possum. Insuper res alio modo quoad hortum botaniçum hiç habetur quam apud vos; præfectus quidem horti nominor, at nihil mandari ibi uti quidem decebat; hortulanus degit in horto, Professor non ita, cujus domus, quam ipse conducere debeo, ab horto per semihoram distat, semina itaque hortulanus colligit et servat, et ab eo petere debeo; hiemali tempore ægrotavit, quo evenit, ut non nisi ante biduum ab eo acceperim, qua causa ea citius ad Te mittere non potuerim, addidi quædam sibirica et quæ mihi a perigrinatore tradita fuere.

Absque dubio amicus Thunbergius statum nostrum et conditiones Tecum communicavit. Uxor mea separabit Insecta, exspectatque nova hoc anno ex Surinama et Capite bonæ spei, an vero novum Tibi suppeditare poterit Insectum dubitat, vidi enim pulcherrimum Parentis Tui thesaurum, cum quo nostra collectio non æquiparanda est; insuper Thunbergius plurima secum apportavit, non credo nos tot habere rara, quæ ille non ex Cap. b. s. secum traduxit. Nobis admodum placuit, vellemque cum eo per totum vitæ curriculum familiari conversatione vivere, est probus et ingeniosus vir, qui cum nostro genio admodum convenit. Laudo methodum quod cum supplementis systema Parentis augere in animo habes, tunc semper opera Parentis magna habentur, contra vero, si novis editionibus mox post Parentis Tui discessum nummos Tibi comparare studebas, quod certe pro historiæ naturalis cultoribus admodum ingratum et infensum ab omnibus habitum fuit. Rogas quando ad Botanicen rediturus sim? si circumstantiæ meæ permitterent ut praxin abdicarem, sequenti anno hoc absolvere in animo haberem, quum

vero cura domestica pro uxore et liberis mihi demandata sit, a me impetrare haud possum ut rejicerem quæ nobis necessaria sunt; certe aliquid præstare possem, si tempus permitteret.

Respondi si bene recordor de Botanicis Professoribus nostra in patria: senior Adrian van Royen nuper mortuus fuit, David van Royen, ejus cognatus, uti notum est, Botanicen Leidæ docet, practicus antea professor Harderovici Nahuys Ultrajecti nunc Professor botanicus, ut et D. van Guens Harderovici nunc botanicen studet; ambo denuo cum professoratu facti fuere Botanici, plures non nescio nec scio. Hisce vale amicissime vir, meque ut amicum Tuum æstimes et habeas, salutes meo nomine consangvineos, mihi antea cognitos, quos cum animi recreatione sæpius recordor.

Amstelædami 20 Aprilis 1779.

V.

Carolo Linnæo, Upsaliæ, N. L. Burmannus.

Summo cum animi gaudio honoratissimas Tuas litteras, circa finem præcedentis anni ad me datas, aperui et legi, prospicuumque erga me animum adhucdum firmum et stabilem perstare gratus cognovi, me atque in posterum Tibi commendo, cum quo Upsaliæ intimam contraxerim amicitiam, quam cum animi voluptate sæpius recordor.

Studiosum Gyllen eo tempore, quo mihi tradidit litteras, ut honestum virum reperi, petiique ut ad me rediret,

nihil vero de eo audivi nec ubinam lateat in tam magna urbe expiscari licitum est. Quod ad Botanicen attinet, minime hoc gratum studium relinquo, et quotidie quantum tempus permittat, me in hisce exerceo ; quum vero totius familiæ cura mihi soli demandata sit et res domesticæ in hac urbe triplo magis ad vivendum requirunt quam Upsaliæ, coactus fui clinicam praxin eum in finem quærere, et licet Galenus summas sibi contraxerit ex cura medendi opes, certe declarare possum me ex hisce nunquam ad eum statum perventurum fore. Scribis in litteris tuis me in supplemento intra paucas hebdomadas visurum novarum capensium copiam, a Sparmanno et Thunbergio apportatam, an per hoc intelligis Editionem a Richardo editam, cum nullum supplementum ad nos adhuc allatum fuit, nec quicquam de hoc vidi nec audivi, de hoc ut me in posterum certiorem facias quæso; de Flora Capensi nil mihi promittere audeo, doleo certe me antea illam non edidisse, quum nunc aliis rebus adeo me intricatum experior ut vix horulæ per spatium liber sim tota die; insuper Anglus quidam D. Paterson summam secum apportavit capensium plantarum familiam, quam pro parte ipse depinxit et hac æstate cum figuris sub Floræ nomine in lucem edere in animo habet. Gratias Tibi habeo pro communicato graminum specimine, quod cum jucunditate evolvi et mihi bene placuit. Professores nostrates, qui Botanicen colunt sunt Hagæ cl. Swenke, Lugduni D. Royen, Ultrajecti Nahuys, Harderovici van Geuns, Franequeri Coopmans, at vero van Royeno excepto omnes se Medicinæ adjungere coacti sunt, quum ex Botanica vel Historia naturali victum quærere in hac nostra patria illicitum est, nisi ex proprio statu quisquam adeo felix se sentiat, ut absque alio munere se sustentare posset. Pulcherrimum herbarium unacum Conchy-

liis in variis terris et paucis mineralibus in India orientali collectis, nuperrime pro aliquot centenorum florenis emi, dolendum vero mihi est tam angustum temporis spatium non permittere, ut fructum inde redundem quem merebatur tam elegans collectio. Hisce addo semina quædam, in horto collecta, quæ accepta grata Tibi si sint, ut me monstres, quæso, per alia ex Tuo horto, sicque invicem inservire in posterum possumus, quod gratum uni et alteri foret, quod propositum si Tibi arrideat, mecum communices, quæso, semina enim nulla alia hoc tempore addere possum, quum bellici tumultus nostræ patriæ imminent. Aves nullos colligo; habeo paucos et insuper elegantem collectionem a matrona quadam summo cum studio ex Indiis forma picturarum in ordinem reductam, quam vidit Thunbergius, et quam si occasio occurrat, vendere animus est; sunt plerique rarissimi, optime conservati; Parens meus ante paucos hanc collectionem emit.

VI.

Clariss. Carolo Linnæo, Upsaliæ, Nic. Laur. Burmannus.

Tandem Amice optime! litteris hisce Tibi valedicere et cum prospero adventu ac in patriam Tuam reditu gratulari in animo habeo, sperans Te in tam nebuloso anni tempore iter absolvisse et salva valetudine Upsaliam rediisse omnesque Tuos amicos adhucdum superstites et incolumes reperisse. Quod ad Indicam et Batavicam societatem attinet, nullus ex nostris præter unicum vel primum tomum possidet,

nec plures vidit, qua propter a nullo bibliopola reliquos emere potuerim. Balquerius Tibi procurabit ea, quæ ex Ultrajecto ad eum missa fuerunt verno tempore. Mitto hic scedulam a Te et ab hortulano nostro annotatam; gratum certe mihi præstabis officium, si eorum semina vel viventes stolones cum primis ex Suecia abeuntibus navibus vel alia quadem occasione ad nos mittere placeat, attendas autem quæso quod sationis tempus multo citius per mensem ad minimum differat a mensibus quibus apud vos semina terræ mandanda sunt, adeoque quo citius ad nos transmittantur eo gratiora forent. Nil novi hoc die Tecum communicare habeo.

Amstelædami 1783.

EPISTOLÆ NICOLAI LAURENTII BURMANNI AD PETRUM SIMONEM PALLAS.

I.

Celeberrimo Petro S. Pallas S. Pl. D.

Nicol. Laur. Burmannus.

Veræ certe amicitiæ signo nec minus nobis exspectatæ fuerunt honoratissimæ litteræ, quas mihi et Lugdunensi Ana-

tomes lectori Dno Sandefort circa finem præcedentis anni dare placuerit, ex quibus prosperam Tuam valetudinem in tam incultis locis et pro peregrinante minime faustis hucusque haud interruptam percipere mihi et carissimo parenti admodum cordi fuit; faxit O. D. quod absoluto itinere Te salvum atque incolumem amplecti his in terris nobis licitum sit, quodque antea inchoatam amicitiam ulterius continuare et firmo stabilitam fundamento frui queamus. Avide et magno desiderio Itineraria videre exoptamus et nova detecta expetimus, gratumque erit exemplar nobis destinatum, cum reliqua Boddartio, Gaubio et Sandefortio distribuenda illis procurabo; pro hoc ut et reliquis donis, quibus hortum nostrum ditare placuit, summas agimus gratias, quæ admodum accepta fuere, quum vero omnia, quæ Petropoli cum Veredario publico transmittuntur, magno constent pretio, et pro altera seminum parte nobis solvendum fuerit 47 florenis et dimidio, cum altera, quæ cum navi hic appulsa et ejusdem gravitatis erat, tantummodo unico constiterit floreno, melius digeri poterunt ea, quæ pro nobis destinare velis, si cum navi Petropoli huc transmittantur, sique Tibi in itinere nullas crearet molestias, damnum hoc resarcire posses si semina siccasque plantas ante autumnale tempus tradere velles cuidam ex amicis Tuis Petropoli vel Dno Blommio et van Santen Mercatoribus, qui transmittere possent cum ultimis inde proficiscentibus navibus.

Valde doleo quod litteræ præcedenti anno ante cum plerisque Capensium et Indicorum litophytorum speciminibus non ad Tuas pervenerent manus, quas, si bene recordor, ipse Slossero tradideram; hoc damnum, quantum potero, ex illis supplere studebo, quæ mihi supersunt, nulla vero Capensia Insecta intra biennii spatium allata fuere, cujus

caussam, licet donis remunerare captatorem studuerim, expiscari haud possum, superest tamen aliqua spes me in posterum plura recepturum fore, quum circa præcedentis anni finem suavissimam duxi uxorem, cujus mater ad Caput bonæ spei genita, illuc loci sorores et consanguineos habet, ad quos scribere promisit; sique horum auxilio ex illis oris afferuntur quædam, sancte Tibi promitto me ea missurum, quæ in duplo possideo, et, si hoc non rite succedat, alia forsitan occasio, quæ per peritum quemdam studiosum mihi conquirere potero, nempe per discipulam a Linnæo enutritum, qui abhinc mittetur in Japoniam præcipue ut semina, plantas aliaque colligat naturalia, quique, si omnia bene succedant, circa finem hujus vel initium sequentis anni cum illuc adeuntibus navibus iter instituet, cumque mihi videatur probus, peritus et historiæ naturalis assiduus cultor, multa et rariora mihi ex tota India promitto, quum per quasdam Indiæ plagas iter absolvet. — Ipso momento, quo hæc scribo, afferuntur mihi suavissimæ Tuæ litteræ 2 Febr. hujus anni datæ, quæ mihi novum attulerant gaudium non solum quod mei memoria Tibi supersit, quam quidem quod sanus et segetus adhucdum vitam transigas, in his me certiorem facere velis de litteris Januarii mense ad me datis, quibus inclusa semina Rinderæ tetraspidis et Swertiæ notata, quæ nunquam fuere traditæ, nec memini me alias vidisse nisi 1) Petropoli datæ 10 Aprilis Anni 1768; altera 26 Octobr. 1769 ex oppido Upha; 3) 6 Novemb. ex Fortalitio Tschelaba 1770; et nunc ultima ex fortalitio Petri et Pauli ad Ischemum 2 Febr. 1771; ad quas omnes me respondisse recordor, doleo vero quam maxime illas ubi inclusa fuere lithophyta non ad Tuas pervenisse manus.

Nil novi porro Tecum communiçare sçio nisi quod

prodierit nuperrime liber sub adversariorum titulo a Cl. Gaubio, quodque Boddartius noster sedulo invigilat in vertendis in vernaculam linguam opera a Te edita; dolendum modo quod tam pauci inveniuntur amatores qui emunt; prodiit quoque nuper Hasselquistii iter in hollandicam linguam translatum. Obiere præcedente anno Magnus Albinus, et nuper medicinæ Doctor van Hagen, cujus splendida bibliotheca hac æstate vel sequenti hieme dividenda erit.

Si quædam in itinere Tibi occurrant quæ ut specifica ab incolis æstimantur quæque in certo quodam casu ab illis quotidiano usu assumta fuere, summum mihi præstabis officium, si mecum ea communicare velis, cum nuperrime loco Parentis Xenodochii publici doctor creatus sum, ubi multi omni die visitandi sunt ægroti. Haud minus quoque acceptum mihi foret, si in colligendis seminibus occupatus, ea separare velles, quorum patres vel frutices fuere vel inter arbores sempervirentes recensendi; aliquot enim ex primatibus habeo, qui sylvulos floriferos vel quoque sempervirentes arbores colunt, vel quod genio suo in hortis suis indulgeant, vel ut successu temporis ligna subministrarent, quibus sterilia et inculta loca repleri, et silvæ exstrui possent; circa hæc si quædam observes et mihi et publico usui esse queas.

Valeas optime amice, salutatusque a me et carrissimo Parente nostrum haud immemor felix et incolumis quam diutissime vivas, iterque tuum cum jucunditate et prospera valetudine ad finem perducas.

Amstelædami, Martii 1771.

II.

Dno. Pallas.

Gratissimum certe quod inter deserta et barbara fere loca nostrum meminisci haud displiceat, qui rite valemus sæpeque de Te tuoque itinere confabulamur, summasque Tibi agimus gratias pro transmissis seminibus, novisque detectis, quæ nobiscum communicare voluisti, nec non pro eximio itinerarii exemplari, quod pro maxima parte summa cum voluptate perlegimus, quum vero germanice impressum sit, speramus post reditum Tuum hocce opus latine conscriptum accipere. Falckiæ semen certe rara progenies est, omnique cura studebimus quod progerminet, et in tuam memoriam per multos annos excolatur, si modo una cum reliquis excrescere haud recuset, uti pleraque, antea missa, quorum pars summo cum studio a me in prædio sata erat, altera ab hortulano in horto botanico, et tertia horum divisio in fabuloso loco prope Harlemium, cujus possessor erat Dnus. van de Poll; et tamen omni licet adhibita cura ex omnibus hisce paucissimæ nobis enatæ fuere species, quo infortunio evenit, ut nulla horum semina in posterum post reditum tuum remittere possimus, quod lubentissime ex omnibus, quas hortus alit, plantis faciemus; quum vero inter nuperrime allata plura inveniantur, quæ in prima collectione occurrebant, speramus quod hoc anno felicius fatum nobis eveniat; Falckius hucusque nulla transmisit; si ad illum scribas, moneas quæso, ut promissis fidem faciat, quum in nostra patria rari sed admodum accepti cives forent, quosque quam maxime desideramus, ejus genium mihi semper et in Hafnia et

in Suecia placuit, qui tunc temporis jamdum valetudinarius, eodem laborabat morbo, de quo sæpius mecum conquestus fuit Linnæus, cum hoc incommodo non tanto ardore prosequi potest, quam in animo habebat. — Cum ultimis hac hieme abeuntibus navibus in Cap. b. S. et si superstes maneat, illinc in Japoniam proficiscetur Suecus quidam nomine Thunberg, Medicinæ candidatus, qui a teneris a Linnæo enutritus et historiæ naturalis assiduus cultor, per aliquot annos pro Amstelædamensi horto colliget, quæcunque tam in vegetabili quam animali regno ibi inveniuntur; si vivat, quam plurima certe nobis promitto ex hocce itinere, quum sedulus, admodum peritus, et pro hac scientia quasi natus mihi visus fuit, quem per tres menses omni fere die domi nostræ habuimus, quique hoc studium omnibus aliis scientiis præferebat; si ex promissis suis quicquam exspectandum sit, Capensia quædam insecta Tibi subministrare potero, nulla vero post abitum tuum mihi transmissa fuere, quod infortunium morte Gubernatoris Tulbach et hortulani ejus, qui colligere solebat, ortum fuit. Sedulus noster amicus Bodartius continuo laborat in edendis iis, quæ a defuncto Slossero relicta fuere, nec non in vertendis itineribus Schawii, Hasselquistii aliorumque; nuperrime scripsit se in animo habere historiam maris elaborare quantum præcipue spectat ad naturæ producta. Hucusque ante mensem jamdum et quod excurrit exaratæ fuere litteræ data occasione Tibi procurandæ, quumque nihil singulare continebant, de tempore in tempus distuli ut grate quicquam vel utile communicare Tecum possem. Nunc vero fausto eventu quam maxime ante biduum exhilarati fuimus per acceptissimas litteras, quas et 20 Octobris et 6 Decembris diebus 1771 ad nos dare placuit ad Jeniscam, gratumque Tibi declaramus animum pro omnibus illis, quæ in toto

Tuo itinere tam honeste et nobis adeo utile præstare voluisti, precamurque omnipotentem Deum quod salvum atque incolumem Te nobis reddat, qui tot beneficiis nos cumulavisti, quemque ex intimo corde magno honore veneramur et amore prosequimur. — Bis præcedente anno semina unacum litteris (ad quas tunc respondi) accepimus, pro quibus ut et pro hocce fasciculo, quod additum fuit, summas Tibi agimus gratias, num tamen illa, quæ Martii mense mittere placuit, rite ad nos pervenerint, non audeo confirmare; litteræ autem, in quibus Falckiæ semen, quod hucusque nondum apud nos excrevit, inveniebatur, justo tempore procuratæ fuere. At valde dolemus, quod Dysenteria et Rheumaticis doloribus excruciatus fuisti in tam rigido clymate, ubi ab amicis omnibus, qui Tibi auxiliatrices afferrent manus, remotus vitam difficilem et ingratam sustentare debuisti, optamusque summum benefactorem Tibi prosperam largiri valetudinem, ut propositum finem in itinere cum honore absolvere queas. Absoluto itinere grata erunt arborum semina siccaque specimina, quæ hisce diebus propter rationes mittere non poteris. Semina ex Upha oppido 1769 lecta justo tempore accepi, suntque illa de quibus in superiore hujus parte scripseram, quarumque partem superiori anno absque ulla messe et nunc iterum hocce terræ procuravi.

Quæ in posterum de plantis apud plebem Sibericam observas mecum communices quæso. — Cistula insectorum, quam pro Dno. Rengers paras, satis bene per Mercatores Blom et van Santen procurabitur. Si modo, ne quid cum aliis de hisce loquantur, ideoque bene facturum putarem, si illis mercatoribus ipse injungere velis, quomodo cum ea tractandum sit. — Quod attinet ad Capense iter, quod in animo habere scribis, data occasione cum Gubernatore, qui locum Dni. Tul-

bach supplebit, et cum navibus nundinalibus Septembris mense proficiscetur, nomine Rhede van Oudshoorn, colloquar et mentem tuam declarabo; certusque sum hunc virum qvævis grata et jucunda Tibi illuc loci præstiturum fore, sique mecum de hocce in posterum agere velis et determinare quo tempore Te illuc conferres, apud primarios societatis Indicæ directores pro Te intercedam ut munus aliquod vel saltem locus in navi Tibi concedatur; ne vero Te deterreat, quæ Tecum supra communicavi de Sueco ante paucos menses abhinc illuc egresso; amici, qui mecum peritum hunc virum illuc miserunt, in animo habent eum in Japoniam et Chinam mittere, ut illa, quæ Kæmferus detexit, ulterius pervestigaret nobisque procuraret arborum et herbarum semina, quæ Clyma nostrum perferre possent; cumque in re angusta versetur nec quicquam habebat quo iter absolvere multo minus ibi vitam sustentare posset, sumtos nullos impendere poterit ad iter terrestre instituendum, præterea, licet probi mihi visu fuerit genii, tacitus et more Suecorum quasi meticulosus fuit, adeoque non satis Africanorum vivendi modo sese assuescere poterit. Cum navibus, quæ præcedente mense huc appulerunt, nonnulla conchylia ex Capite b. S. ut et animalia ex Amboina transmissa fuerunt, inter quæ rariora occurrunt. Dolendum modo mihi quod praxi aliisque negotiis per totum diem adeo detentus sim, ut paucæ tantum horulæ in historiæ naturalis campo exspatiari liceat, quæ certe integram requirerent ætatem in loco ubi tot et tam pulchra acquiri possent.

Solandrum in itinere aliquot centena Insectorum ut et Vegetabilium nova detexisse genera sine dubio scies — —

Amstelædami 6 Junii 1772.

III.

P. S. Pallas Prof. Petropolitano.

Pro omnibus illis, quæ nobis in itinere præstare voluisti, ex intimo corde summas ago habeoque gratias, semperque recordabor grata mente; faxit Deus ut ea in posterum renumerare, quocunque modo hoc fiat, queam; reperies me semper certe ad omnia quam maxime paratum; miror tamen nullas in manus Tuas pervenisse litteras, quas per nautas vel et per Dnum. Blom ad Te dederam; quo infortunio hoc acciderat plane me nescire profiteor, quumque Bodartius nuperrime scripserit se per Dnum. Rengers ad Te litteras daturum fore, hasce ad eum mittam ut justo Tibi tradantur modo. Dolemus omni æstate semina, tanto studio et labore a Te in tam difficili et periculoso itinere collecta, nostro in solo tam pessime progerminare, licet omni cura excolantur, sevi enim ipse in nostro hortulo partem eorum, dum altera pars in botanico horto Amstelædamensi, Ultrajectino et Hardero-viccio ab hortulanis terræ mandata fuere, et tamen pauca tantum excreverunt, et quæ eruperant, postea periere, quod fatum licet valde injucunde remunerabitur per Herbarium generositate tua sequente vere nobis mittendum, quod avidissime exspectamus. — Thecam Insectorum Dno. Rengers misi, litterasque una ad nobilem hunc virum dedi, in quibus conquestus fui dolendum valde fore Tibi inter barbaros gentes tanta cum difficultate iter instituendum esse, optandumque fore sereniss. Principem nostrum post reditum Tuum, virum tam peritum revocaturum et in Academia una vel altera ejus ditionis collocaturum, quod præcipue admonueram, quia tunc

temporis Botanices professio in Academia Groningana vacabat, rescripsit vero quam humanissime: se lubenter Tibi inserviturum, si post reditum Tuum certior factus fuisset Tibi hoc arrisurum fore, quod tantum moneo, ut posses cum eo per litteras de Capensi itinere vel fixo ibi domicilio agere. — Quod ad hunc locum attinet, cum familia vel propria in domo, si quis absque luxu ibi degere cupiat, parce valde vivitur, quum amoena hæc ditio ob fertilitatem terræ omnia fere suppeditet, quæ ad victum atque amictum necessaria sunt; reditus vero ex 12000 Imperialibus, vel ex nostra moneta 30000 florenorum non juste determinari queunt, differunt enim singulo fere anno; hoc tamen ab omnibus uno ore probatur eum, qui triginta millia florenorum possidet, inter divites illius loci numerandum esse; quod ad munus, licet de silentio certus esse poteris, sententiam Tuam uni ex primariis hujus civitatis viris explanavi, tuasque litteras prælegi, qui mecum sentiebat hoc facile impetraturum fore, melius vero me facturum judicabat ea tam diu differre, donec liber huc pervenire poteras, dicebatque hoc Dnum. Rengers a Principe facile obtenturum fore, et licet hoc ex votis non succederet, posses facile ex praxi medica tantum tibi conciliare, quantum necesse sint, ut honesto modo vitam sustentare posses.

Absque dubio recordaris Dnum. De Vries, qui Tecum studiosus Leidæ fuit; hicce vir vino licet valde deditus, praxin exercet et satis bene vixit; paucissimi ibi reperiuntur veri practici, plures sunt chirurgi, qui ibi praxin exercent. — Quæ hisce in terris editæ sint Bodartius, cui plus temporis superest, communicabit, tantumque hisce additum Dnus. Banks, qui cum Solandro iter instituit, hoc hiemali tempore, per totam meridiem domi nostræ fuisse, ut collec-

tiones nostras perspiceret; quum maxime versatus erat in Botanicis, omnium accuratissime herbaria Hermanni Pisonis et Oldenlandi etc. perspiciebat; ejus diaria et peregrinationes nuperrime edita fuere, postque biennium Naturalium descriptiones et figuras provulgabit. Londino mihi relatum est Ellisium novam parasse editionem; ab Hillio vero emi syst. vegetab. opus, ex 23 vol. constans in folio, reliquaque ejus opera, quæ fere totam bibliothecam adimplent. — —

Amstelædami Decemb. 1773.

IV.

Quid referam Tibi, amice optime! pro omnibus, quæ nobis admodum grata in itinere procurare placuit, pro quibus summas debitasque agimus gratias, tot enim veræ amicitiæ testimonia nobis dedisti, quot nullo modo referre possumus, sique in posterum quidquam præstare queamus, certus sis, quod nos semper ad quævis officiorum genera paratos, reperies. In omnibus litteris, quas Dno. Rengers, et binis, quas ad Prof. Gaubium dedi, de Te scripsi, infelicemque sortem in tam sterili et ingrato clymate proposui, optandumque fore Tibi absoluto itinere aliud clyma, ubi communi bono inservire et veris historiæ naturalis cultoribus utilis esse posses; hoc effecit Dnum. Rengers per litteras inquisivisse num mihi cognita forent, quæ desiderares; rescripsi nobili huic viro: nil melius excogitandum pro genio Tuo, quam honorificum munus in Capite b. S., ubi tot rara et in-

cognita occurrere non cuique notum est ; si hoc Tibi arrideat, suadeo ut data occasione cum hujus rei certiorem facias, qui omnia apud Principem efficere potest, dum ego, si cum societatis Indicæ gubernatoribus conveniam, semper de Te Tuoque itinere colloquor, ut Tibi in posterum prosim ; si vero fixam sedem in nostra patria desideres, successu temporis grati quod in academia Franequerana, ubi senex valde Dnus Ouwens botanicam docet, proponi posset, quod tantummodo notum Tibi facio, ut de iis cum nobili illo viro, si lubet, agere posses. Binas thecas a Dno. Rengers accepi, quum vero hiemali hoc tempore nullæ naves Petropolin abeant, has ad Te mittere non potui, verum primis navibus, qui vere proficiscuntur, Tibi procurabo, addamque thecam cum insectis Capensibus, quæ mihi supersunt, pluraque Surinamensia sequenti anno exspecto, quorum partem quoque Tibi subministrare potero, si Tibi grata et accepta erunt ; cum vero mea collectio, quam supplere in animo habeo, de die in diem augetur, gratum foret, si et me iis beare velles, quæ in itinere Tibi in duplo sint. Amicitiam nuperrime inii cum quodam et præcipuo hujus urbis insectorum possessore et perito amatore Dno. Stol, quondam Hagensi et nunc hujus urbis incola, qui ex itinerario tuo notitiam fecit eorum, quæ hic admodum rara et nullibus nisi in collectione Dni. Rengers occurrunt ; si nos horum participes facere velis, ut et Dnum. van der Meulen, officium nobis præstabis summum, dividas vero ea in partes et pro singulo transmittas thecam parvam. Amicus noster Dnus. van der Meulen petiit ut rogarem an non nobis ex ferro illo nativo, nuperrime ad Gaubium misso, frustulum suppeditare posses pro nostra collectione ; offerimus lubenter Tibi illa, quæ nobis in duplo sunt ; scribasque modo, quæcunque Tibi grata præcipue sint, tunc

ea sequenti æstate Tibi procurabuntur. Bodartio scripsi ut Tibi suppeditaret quæ nova in nostra patria prodiere ; occupatus est in vertendo Buffonii opera. Dnus. Cramer cum Dno. Stol novum parat opus, ubi papiliones exoticæ nitide depinguntur.

Hisce valeas amice honoratissime ! salutatus carissimo parente, qui senescere incipit, et mecum Tibi quævis fausta et prospera apprecatur. Ne obliviscaris herbarium nostrum plantis tuis augere, quo nobis omnium gratissimum præstabis officium; exspectoque ea, si placet, verno tempore; si Capensia Tibi arrideant, lubens Tibi offero ; si unam vel alteram Moluccellæ radicem, ut et Falckiam, quæ non progerminavit, addere queas, acceptæ admodum erunt. Scribasque si de Capensibus rebus Tibi quicquam efficere possem.

Amstelædami Novemb. 1774.

V.

Verbis exprimere vix possum quanto gaudio affecti sumus, quum per binas ultimas litteras certiores facti fuerimus de prospera valetudine tua non tantum, sed quoque de vita superstite ; omnes fere Tui amici in Hollandia ex me quæsiverunt an verum foret Te supremum obiisse diem, uti in nostris novis publicis adsignatum fuerat ; contenti revertebantur quum contrarium ipsis ex missis litteris communicabam. Gratulor rite nobis et omnibus historiæ naturalis cultoribus salvum et incolumem Te rediisse ex itinere, Teque

vegete et prospere valere, quod ut summum Numen Tibi quam diutissime permittat ex animo foveo. Omnibus quantum recordor litteris, quas in itinere ad me dare placuit, responsum dedi, exceptis tribus ultimis post reditum Petropolim scriptis, caussamque ex annuntiatione nostrorum diariorum quæras, ultimæque a D. Rengers ad Te per tabellarium Imperatricis mandatæ fuere, quo evenit cur binæ illæ cistulæ circa autumnum ad me missæ verno tempore nautis non tradiderim, quas absque dubio jamdum receperis; ne autem unquam silentii mei retardationem oblivioni vel malæ moræ adscribas quæso; certe ingratissimus omnium forem, si sic de Te, quem inter integerrimos amicos numero, et certissime quamdiu vivam numerabo, cogitare; quanta enim nobis non præstitisti in itinere tuo, quæ nunquam vidissemus, si non tua benignitate nobis concessa fuissent, summoque honori mihi certo ducam, si inchoatam amicitiam mecum continuare velis, promittoque quod me semper ad quævis officiorum genera, qualiacunque sint, paratum reperies, scribasque modo, etiam atque etiam rogo, si quædam occurrunt, quæ Tibi præstare possim, omniaque ut verum pro amico amicum decet tractabo, quæque silentio tradenda mihi soli confidas, nec alteri communicabo.

Gratum fuit audire honorarium tuum mille Rublonibus auctum fuisse, quod certe ingens donum est, meque judice melius facies, si per aliquot annos ibi maneas, ubi tot et tanta incommoda per itinera sustinuisti, quam si aliorsum adires, quum in quocunque orbis angulo semper quicquam ingrati reperies. Cistulam cum nave, cui præerat Melssen de jonge, ad nos pervenisse jamdum ex meis litteris non solum sed et ex illis Bodartii, Gaubii etc., quibus tomum secundum itinerarii tradideram, nec non ex litteris Dni. Ren-

gers, ad quem cistulam insectis repletam miseram, absque dubio intellexisti. — Nunc iterum nos beare placuit pulcherrimorum seminum fasciculo, pro quibus ut et pro omnibus, quæ nobis dedisti, summas persolvo gratias, quumque illa, quæ præcedente anno miseris, multo melius progerminent quam reliquæ in præcedentibus missa, gratissimum facies, si ex horto tuo quotannis transmittere velles, quæ ibi colligis. Sique per litteras statum horti tui mecum communicare velles et singulo anno secundum Royeni prodromum annotare velles genera et species, quæ in horto tuo deficiunt, semina vel vivas plantas transmittam, incipiamque nunc cum Cacti et Mesembryanthemi genere; cumque a Thunbergio ex Capite b. s. ante paucos dies allata sunt semina, pleraque ex novis plantis desumta, Te horum participem facere volui, et hiemali tempore, vel cum primis vere abeuntibus navibus, transmittam semina Capensia et Indica in horto nostro hocce autumno collecta.

Sique his gratius quid præstare potero quantum in me est in posterum pergam; dolendum modo mihi est quod me tantopere praxi tradere coactus sum, ut paucæ tantummodo horæ mihi supersint, quibus per diem liberum me esse profiteri queam; carissimus meus parens admodum senescere incipit, vires delabuntur, nihilque peragere potest; præterea visus unius oculi plane deperditus et in altero valde debilis est, ideoque totusquantus debilitatus et laboribus in juventute peractis plane consumtus est; vivit in prædio tranquille ab urbe remotus; quod superest: uxorem duxi, quæ mihi tres peperit proles, solusque sum, qui pro illis victum subministrare debeo; hæc omnia in causa sunt cur me praxi tradere necessarium duco, quum nullum hucusque a magistratu obtinere potuerim honorarium, quia Parenti adjunc-

tus sum. Ne differas quæso ante autumnum transmittere Sibericum herbarium, quod parens meus mecum tantopere videre exoptat, quumque antea per litteras inquirere placuit quænam ex operibus tuis possideamus, ægre ne feras me hisce inserere, quæ nobis a Te antea data fuere : Miscell. zoologica Hagæ Com. impressa 1766 usque ad pag. 200 cum figuris. Specilegia zoolog. fasc. 1. 2. 3. 4., dissertatio de insectis viventibus inter viventia, ut et Tomus 1 et 2 itinerarii tui.— Si plura prodierint et exemplaria supersint, gratum foret si et hisce nos remunerare velis, si vero non, memineris apud quem bibliopolam emi potero, ut completum fiat meum exemplar. Initio cum iter per Siberiam institueras, paulo post abitum tuum misi ad Te opera parentis, Floræque Indicæ meæ exemplar ; si rescribas dicas num ad manus tuas pervenere, si vero non acceperis, ea cum proxima nave mittam ; si bene recordar, fuere Plumierii plantæ Americanæ, Thesaurus Zeylonicum et Decades, Flora Indica et Wacchendorfia ; ad Rumphii herbarium quod attinet, nulla possidemus exemplaria completa ; impressa omnia enim fuere Bibliopolarum sumtibus, attamen si bene recordar supersunt nobis tomus 5. et 6. et forsan 7., si his egeas, possem tibi offerre, sique tibi inservire queam ut libros pro Te emam, annotas modo unacum pretiis pro iis impendendis ; cum navi J. J. Wassenberg a Te binas cistas, a D. Rengers ad me missas, quarum supra mentionem feci, acceperam autumnali tempore absque ullis litteris et nesciebamus a quo missæ fuerant ; altero die afferebantur litteræ D. Rengers, per quem certiores fiebamus eas ad Te pertinere, interdum aperueram alteram planam magis, cum vero videbamus nostri non esse, eodem modo, nihilo desumto, misimus uti traditæ erant, altera inaperta relicta ; huic planiori inclusi thecam cum Insectis

Capensibus repletam, quæ grata Tibi fore spero, sique plura accipiam, certus sis quod semper Tui memor, dabo quantum in duplo acquirere queam ; nunc mittam Surinamensia, quæ mihi nuperrime allata sunt, si hæc nondum possideas, certe procurare possem. Nunc me accingam ad responsum humanissimarum tuarum litterarum ; inscius certe sum quo evenit quod nullas acceperis a me epistolas, quarum ultima per Dnum. Rengers ad Te procurata est, scribasque quæso an per tabellarium publicum rite ad Te mitti possint et an per illam viam non nimium solvendum Tibi sit? vel an per aliam methodum rite ad Te pervenire possint, oroque ne credas tepefactam amicitiam in caussa esse quod nunquam in animo incurrit, litteras nonnullas Bodartii meis inclusi, caussam expiscari certe non possum ; Bodartius per aliquot dies hac septimana in prædio nostro Middenmeerio versaturus ; cum eo colloquar cur nullas ad Te dederit ; nullis occupationibus enim impeditus est. — Si rescribas me moneas quæso quanti constent acta Petropolitana, quorum pauca tantum ex prioribus possidemus ; cara enim admodum sunt, et non multa quoad historiam naturalem continent, plura mathematica ; cum illis actis admodum voluminosa fit bibliotheca, grataque magis forent, si quis seorsim ea imprimere vellet quæ ad historiam naturalem pertinent, ut ex Suecicis, Germanicis et ex transactionibus ipsis Anglicis. Si tempus permittat ut marina nostra in ordinem redigere queam, lubens Tecum quæ nobis in duplo sint communicabo, scribamque ad amicos Capenses ut mihi suppeditarent animalicolum Zandmol dictum et mures campestres ut et Surinamenses. Radices molucellæ hoc vere emortuæ, non nisi folia in præcedentibus annis provenerunt, ideoque gratæ erunt si verno tempore transmittere placebit.

Cum nave ad Te in singulari theca misi animal Zandmol dictum et inter semina Africanam incolam, prima ex Capite b. Spei transmissam, quam possidebat amicus noster v. d. Meulen, a quo pro Te eam petii. Dolet summopere Bodartius cistulam per Scheidium missam fuisse deperditam, Tecumque de hisce agere promisit. Cum primis verno tempore abeuntibus navibus ad Te varia mittam semina, quæ quotannis in horto nostro colliguntur, at quomodo Tibi procurare possem arbusculas, certe ignoro. Si nosceres fidum mercatorem, qui Imperatrici obligatus esset, et qui nautis hasce mandaret, possemus verno tempore Tibi frutices quasdam Africanas procurare, at pauperes maxime sumus in borealis Americæ fruticibus, qui omni anno ex Anglia huc afferuntur, quosque ab aliis pro Te expetam. Gratum erit si stolonem arboris Japonicæ ad nos mittere velles Koelreuteriæ nomine descriptæ, ut et Falckiæ vel Calligoni polygonoidis fruticem. Lubens et quoque salicorniæ Europeæ speciem procurare vellem, si eas conquirere possim, at vivimus hic adeo remoti a maris littore, ut non nisi per amicum herbas, quæ ibi occurrunt, conquirere possim. Si tempus vacaret lubentissime majora genera ut Gnaphalia, Artemisias, Astra, aliaque describerem, at ab hisce desistere debeo invitus, quia practicis negotiis nimis obrutus sum, uti supra Te monui. Orationes quotquot acquirere potui et in cistula cum plantis nuperrime misi.

VI.

Dr. Pallas Prof. Petropol.

En semina ex horto pro Te adducta, quæ ut justo adhucdum tempore Tibi procurentur, exopto, addidique Plumieri fasciculos, Thesaurum Zeylonicum et Floram Indicam, quæ Tibi a nobis offeruntur, rogamusque ut illa in nostri memoriam reservare velis, plura si possideamus, quibus Tibi inservire et gratam pro omnibus a Te peractis præstare possemus mentem, lubenter mitteremus, sique occurrant quæ modo ex nostris plagis desideres, me certiorem ut facias, etiam atque etiam rogo, et absque dubio, si fieri queat, accipies.

Gratulor mihi Insecta illa, quæ in Rengersiana cistula incluseram, Tibi accepta fuisse; si plura in posterum conquirere possim, mittam, at maxime difficile est ea ex India orientali vel ex Capite b. Spei huc transferre, et si unus vel alter furtim ea adduxerit, tot inveniet hic Amstelædami inter ditissimos collectores, qui emere cupiunt, ut non nisi caro admodum pretio emenda sint; insuper mercatores, qui in Bursa quotidie cum capitaneis et reliquis navium præfectis colloquuntur, sæpe quam citissime ea ad se trahunt; quod ad Thunbergium attinet, sedulus et admodum peritus indagator pulcherrima collegit; quum vero horti nostri directores ad eum scripserint, non licitum ipsi esse ad quemquam alium mittere, et recusarint insecta, lithophyta etc. tantummodo desiderant plantas et semina. Inter biennii spatium nulla misit, nec mihi quoque quicquam nisi sicca plantarum specimina dedit. Nunc circa præcedentis anni autumnum Indiam petiit, ut per Bataviam in Japoniam tenderet, ex qua regio-

ne forsitan plura mittet, et si recipero, eorum et Te participem faciam ; quum vero ejus salarium non admodum sit auctum (et illud pro victu fere non sufficiat) nulla emere poterit, ideoque tantummodo subministrare nobis, quæ ipse collegit. — Gratissimum omnium erit herbarium Sibericum, quod ut cum primis abeuntibus navibus transmittas, summopere oro ; sique forsan semina ad manus forent, ea quoque valde accepta forent, ut et specilegiorum tuorum desiderata pars. — In postremum de operibus Petropoli impressis agam. Flor. Siber. Ammanni opus et Buxbaumianas centurias possideo, at si bibliopola mutare vellet commentaria vel Petropolitana acta pro operibus Parentis, ea lubens acciperim, si historiæ natural. descriptiones in iis occurrant ; si vero tantummodo mathematica inveniantur, nulli usui mihi forent, qui per praxin adeo detineor, ut vix litteras scribere vel aliud quid peragere queam ; insuper carissimus meus Parens per cataractam unius oculi et obfuscationem alterius impeditur quicquam peragere, nec amplius legere vel scribere quid valeat, ideoque omnia ejus dirigere et proprias res gubernare cogor, quod multum temporis requirit ; debilis admodum est et sæpius per dies lecto decumbit, nec propter exhaustos vires multum ambulare potest. — Doleo quod Mesembryanthemi ramuli deperditi fuerunt, quæ summa cum cura compacti erant. — Hærere dicis quid Gaubio respondebis ; si statum scirem melius Te consulere possem. Ubique terrarum quicquam haud grati occurrit ; ego vero præferrem sobrius in angulo quodam versari, quam in aula invidiæ plena vitam transigere ; hoc certum est quod ubique viros tali eruditione ac Tua præditos quærant et quærerint semper.

Nuperrime de Musæo Grillii, quod amicus noster Mejer

pro quodam Russiæ principe pro 8000 fl. emit, colloquens aderat unus ex meis consanguineis, qui a multo retro annis ingentem numerum numismatum græcorum et romanorum collegit et enumerans pleraque præstantiora, quæ regnum Russiæ ex nostra patria ad se traxit, dicebat se libenter velle (cum senescere inciperet) quoque huic reginæ vendere suam collectionem cum theeis, rogabatque an non litterarium commercium ibi haberem; respondi me Te semper reperisse fidum et verum amicum, et persuasum esse, si quid in hoc negotio peragere posses, quod lubens hoc faceris; idcirco petiit, ut de hisce cum Dno. van Woensel colloqui velles, quodque posset quemdam peritum hic Amstelædami eligere Imperatrix, qui hanc collectionem unacum catalogo, ubi auctores, qui de hisce numismatibus scripserunt, recensentur, examinare et cum possessore colloqui posset. Hoc museum numismaticum nuperrime summa cum attentione perspexit juvenis Russiæ princeps de Joussoupoff. — Filius Dni. Testorf lubecensis nuperrime per Hollandiam in Galliam transiit, iterque per triennium instituit. Totum systema botanicum secundum classes, methodo Linnæana exaratas, edere sustinuit Dnus. John Miller, qui antea Erlangæ nunc Londini versatur. Aviditate cum summa opto videre herbarium Sibiricum, quod ut ante autumnum ad nos mittas etiam atque etiam oro. In hac cistula reperies 10 fascicul. Plumieri, Thesaur. Zeylon. Flor. Indicam et Wacchendorfiana. Nil novi porro Tecum communicandum scio; valeas itaque amice optime, nosque favore et amore tuo prosequi pergas.

Amstelædami Maij 1776.

VII.

Præcedente anno missa Parentis meaque opera Tibi haud ingrata fuisse ex litteris hac hyeme acceptis lætus percepi, vernali tempore unacum quibusdam zoophytis Rumphii opus vel saltem eos tomos, quos nunc possideo, Tibi offero, addamque illos libros, quos in nostra collectione in duplo inveniam; serves eos in memoriam binorum Tuorum amicorum, ut ego præstantissimum tuum Sibiricum herbarium nec non a Te edita opera retinebo, pro quibus omnibus me adhuçdum Tibi obstrictum profiteor. Insecta a Dno. Rengers missa tradita fuere nautæ, qui veris tempore Petropolin accessit. Avidissime vernali tempore reliquam herbarii partem, si tempus Tibi permittat ea separare, expecto, sique Gmelini itinerarium Persicum et Georgii iter Sibiricum, de quibus nequidquam audivi, (cum flor. Sibir. et hist. fucorum possidemus) addere velis, gratum facies officium, remittamque data occasione quæ pro iis impendere debuisti. Accepta erunt semina, quæ cl. Lepeçhin mittet, lubensque æstate ramulos Cactorum et Mesembryanthemorum procurarem, at hac hieme frigore multæ demortuæ sunt et non credo quod facile commercium ineat cum Stormio nostro, cui proposui. Nondum curiosos reperi qui insecta exotica pro aviculis Sibiriçis transmutare desiderant; ipse Rengerus, ut narratum mihi est, remisit pulchros tuos aves, ut hic venderentur; ejus collectionem admodum pulchram multæ profitentur, et facile per Stollium Tibi exotica insecta procurare poterit, qui multa in duplo possidet; at forsan cum illis commercium facit. Per multos jamdum annos hortulanus nunc senescere et otio

nimium indulgere incipit, si vero botanices professori catalogum earum stirpium, quæ ollis continentur, mittere placuerit, hoc facilius huic homini erit, et studebo quod hac æstate quasdam reciperet; sequentibus annis forsitan ei inservire potero, nunc enim cum Februarii mense in parentis locum cum omni honorario electus fuerim, in initio me huic difficili rei immiscere non arideo, optimum foret si acceperit Dnus. Lepechin, ut ipsi aureum pro instituto labore mitteret quod, ut amicus amico scribo, et in posterum plures accipere poterit. Palassiam, pulchram certe stirpem, nec possideo, nec unquam vidi; si hanc accipiam certissime habebis ut et reliquas Africanas stirpes, quæ in herbario nostro in duplum possidemus; post finitas lectiones eas separabo et circa autumnum transmittam. Accepta quam maxime erunt semina tam Sibirica quam Monspeliaca, spero ut tibi resarcire successu temporis possem; certus sis amice si quicquam præstare queam tibi, qui nos tanto amore prosequeris, me hoc certo certius acturum, meque ut inter veros tuos amicos primum locum teneas, oro, at hucusque, uti quidem opto, non possum, cum nunc nuperrime in parentis locum successerim et paulo attentius res meas tractare debeo. — Quæ de agricultura mecum communicare voluisti optima fuere, pergas hisce in posterum, si tempus tibi suppetat, oro, ut et de thesibus pro oratione eligendis quibus mihi gratum facies officium. — Multi desiderant opus de insectis Sibiricis a Te elaboratum videre, ideoque si prodierit, bibliopolæ in Belgium transmittas, ut illud coemere possimus opus. Si stolones Koelreuteriæ, Falckiæ, vel Calligoni polygonoidis, Betulæ nigræ, davuricæ, Loniceræ et Ribis novæ ad nos mittere posses, gratum præstabis. — Carissimum parentem præcedente anno visum plane depravatum et eum ex catarac-

